



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titulus III. De Rescriptis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

legata, ista quoque favorabilis erit. *Di-  
co, Pro communitate.*

376. Excienda enim est delegata facul-  
tas dispensandi cum expressa persona par-  
ticulari; cum enim talis facultatis con-  
cesso moraliter dispensatio sit ipsius su-  
perioris, à quo decernitur, & illius de-  
cretæ ferè sola executio istiusque modus  
committatur; ut, si preces veritate ni-

tantur, nequeat denegari: & non commu-  
nitatis, sed privatæ personæ bonum im-  
mediatè spectet, mirum non est, quòd  
tanquam odiosa exigat interpretationem  
strictam, licet dispensandi facultas, nul-  
lâ personâ expressâ & generaliter con-  
cessa, latam patiatur, *cit.* Sanchez *n. 6.*  
Suarez *Lib. 6. de LL. cap. 17. à n. 5.* &  
Palao *Tract. 3. disp. 4. p. 11. n. 5.*

## TITVLVS III.

### De Rescriptis.

**C**onstitutionib<sup>9</sup> affinia sunt Re-  
scripta; nam etiam hæc, li-  
cet neque Generalia, neque  
totius alicujus Communitatis  
Jura sint, legem tamen faciunt iis sal-  
tem negotiis ac personis, pro quibus e-  
dita fuerunt, Felinus *ad hanc Rubr. n. 1.*

8. *Litera etiam Beneficiales quadam di-  
cuntur Justitia,*
9. *Et alia Gratia:*
10. *Quarum aliqua in forma Gratiola,*
11. *Alia in forma Dignum expediuntur.*
12. *Quadam Si aliter, Si neutri vel Si  
nulli:*
13. *Alia Rationi congruit &c. vocantur.*

#### ARTICVLVS. I.

### De natura & varietate Rescriptorum.

#### SUMMARIUM.

1. *Rescripti etymon, definitio,*
2. *Et differentia à vive vocis Oraculo,  
& Epistola Decretali.*
3. *Concedi rescripta possunt contra Jus,  
cum clausula huic derogante.*
4. *Alia sunt Justitia, alia Gratia,*
5. *Et alia Mixta.*
6. *Aliquando Motu proprio, aliquando  
ad instantiam conceduntur.*
7. *Quadam eorum Brevia nuncupantur.*

**R**escriptum, sic dictum à Re-  
scribendo sive respondendo,  
Gonzalez *in c. Caterum 3. n.*  
4. & generatim sumptum est Constitutio  
per epistolam specialis, sive respon-  
sum à Papa, Imperatore aliòve, Principe  
vel magistratu, præsertim supremo,  
ad alicujus supplicationem in scripto da-  
tum, *l. 1. §. 1. ff. de Appellat.* Panormit.  
*ad hanc Rubr. n. 2. ubi Vallensis §. 6.*  
*n. 1. & Laiman n. 2. secundum quam,*  
à cæteris DD. quoad sensum fere rece-  
ptam explicationem, licet rescriptis ac-  
censenda non sint responsa, quæ *vive*  
*vocis Oracula* nuncupantur, & aliqua et-  
iam Epistolæ Decretales; quòd illa non  
per scripturam, sed verbò: istæ verbò  
aliquando ad nullius consultationem, res-  
latio-



lationem vel petitionem, sed motu proprio concedantur. Pirching *ad hanc Rubr. n. 1.* rescripta tamen sunt quæcunque Principis v.g. Papæ responsa in scriptis data, sive ea secundum Jus commune, sive præter aut contra id emanant: ut sunt beneficiorum Ecclesiasticorum aliarumque gratiarum concessiones, privilegia, dispensationes à Principe petita & in scriptis impetrata, *citt. Vallens. n. 1. Laiman n. 5. & Pirching n. 2.*

3. Neque cum his pugnat; quod rescripta, Juri communi vel utilitati publicæ adversantia, pro invalidis habeantur *can. Rescripta 25. q. 2. § 1. fin. C. Si contra jus &c.* quia hoc verum duntaxat est, quando iis Juri communi expressè non derogatur; tali enim casu mens Principis esse præsumitur, qualis esse de jure debet, *arg. l. Ex facto 43. pr. ff. de Vulg. & pupill. substit. non autem, quando huic ipso rescripto per insertam clausulam saltem generalem derogatur, v.g. præcipiendò, ut non obstantibus sanctionibus Canonice condemnatus iterum audiatur, arg. l. Nullus 2. pr. C. de Summa Trinit. Nisi lex vel statutum contrario rescripto obstaret; hoc enim casu, ut illi contrarium rescriptum vires obtineat, clausula derogatoria speciali, v.g. Non obstante hac lege vel statuto, munitionem esse oportet, Bruneman. *in l. fin. cit. n. 3.**

Dixi supra, *Generatim sumptum*; quia rescriptum, propriè ac strictè acceptum, ea duntaxat Principis responsa complectitur, quæ ad alicujus petitionem suggestionem vel consultationem secundum Jus, sive ad istius observantiam emanant. Præter Jus autem Gratia & Beneficia Principis; & contra Jus concessa ejus responsa, Privilegia & Dispensationes nuncupantur, Panormit. *ad hanc Rubr. n. 3. & Azor p. 2. Instit. lib. 5. cap. 24. q. 2.*

4. Rescripta generatim accepta, celebri & frequentissimo usu recepta partitione, alia Justitiæ alia Gratia sunt: quibus addi possunt Mixta.

Justitiæ sive ad lites rescripta dicuntur, quæ ad Justitiæ administrationem, fere secundum Jus faciendam, tendunt, v.g. quò Papa causæ ad sedem Apostolicam delatæ vel per appellationem devolutæ, cognitionem delegatis iudicibus committit, *c. 1. c. Nonnulli 28. pr.* aut de jure partis consultus, quid in iudicando sequendum, respondet, *c. Ex parte 12. & c. Sedes 15.*

Gratiæ autem vocantur, quibus ex liberalitate aliquid præter aut contra Jus commune conceditur, ut sunt, quæ super beneficiorum resignationibus, collationibus & dispositionibus aliis expediuntur: cujusmodi rescriptis Papa aliquando clericis providet aut provideri mandat de beneficiis vacantibus, & aliquando de vacaturis: ut cum Episcopo præcipit, ut clerico sibi supplicanti conferat beneficium, quod in Diocesi vel Ecclesia aliqua proximè est vacaturum; vel Decano & Capitulo, ut clericum, cum primùm occasio se obtulerit seu canonicatus vacarit, in canonicum recipiant. Unde hujusmodi rescripta seu mandata dicuntur *Gratiæ Expectativa*, quæ in usu olim frequenti, hodie rarissimo sunt, propter obstantis eis Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 19. de Reformat.* ubi *Sancta Synodus decernit mandata de providendo & gratias, quæ Expectativa dicuntur, nemini amplius concedi, nec hactenus concessis cuiquam uti licere* Garcias, *de Benefic. p. 6. cap. 1. n. 2.*

5. Mixta demum dici possunt, quæ Gratiam simul & Justitiam continent: cujusmodi est rescriptum Apostolicum, quò executori simul mandatur collatio beneficii, & committitur potestas compellenda.

S

pellen-



pellendi resistentes; cum tale rescriptum, quatenus eo clerico providetur de beneficio aut mandatur provideri, Gratia: Justitiæ verbò rationem habeat, quatenus eo executori conceditur jurisdictio, vicujus, rescripti executioni se opponentes, sive actualem beneficii collationem, aut in ejus possessionem inductionem malitiosè impediendes, opportunis remediis coërcere & ad desistendum compellere valeat, Tholosan. *Lib. 1. de Rescript. cap. 2. n. 15.* & Tuschus *Practic. V. Rescriptum, conclus. 209. n. 7.*

6. Porro rescripta, vel potiùs literæ à Papa aliòve Principe aliquando motu propriò, aliquando ad alicujus instantiam emanant. Motu propriò emanare & concedi gratia dicitur, quando hanc concedit, impetrantis, pro illa supplicantis, precibus sive petitione non præcedente: vel, si præcessit, non tam eà quàm proprii animi motu & liberalitate ad gratiæ concessionem est inductus: eamque ita concessisse intelligitur, quoties rescripto clausula *Motu proprio* est inserta, c. *Si motu 23. de Prabend. in 6.* in cuius fine Bonifacius VIII. ait, *Motu quoque proprio tunc solum gratia fieri censetur, cum hoc expressè cautum fuerit in eadem.* Ad instantiam autem concessa gratia censetur, quando ad ejus concessionem Princeps inductus ac permotus est impetrantis pro ea precibus ac petitione: itaque illa concessa intelligitur, quoties eam *Motu proprio* concessam, rescripto non est expressum. Quæ adeo vera sunt; ut gratiam motu propriò concessam, cum id literis non exprimitur: & contrà, cum id clausulâ literis insertâ exprimitur, gratiam solummodo ad instantiam & non motu propriò concessam, probatio non admittatur, *Glossa fin. in c. cit. Baldus in c. Nisi specialis 3. de Offic. legati n. 4. Gomez in Reg. de Annali poss. q. 10.*

& Menoch. *de Arbitr. casu 201. n. 79.*  
Præterea literæ quædam à Sede Apostolica emanant, quæ *Brevia* appellantur, & nihil aliud sunt, quàm rescripta seu concessionem Apostolicæ, paucis verbis conclusæ, & in cera rubra exprimentia sigillum Papæ, quod *Annulus Piscatoris* nuncupatur propter insculptam ei imaginem S. Petri, ex navi jacentis rete in mare eum subscriptione, *Datum sub annulo Piscatoris*: cujusmodi Brevibus seu compendiosis rescriptis, quando eorum usus introductus est, sola Justitiæ negotia expediebantur. Cum tempore tamen, & hodie quoque, plura expediri solent, quæ ad Gratiâ pertinent: ut sunt privilegia imprimendi libros typographis concessa cum prohibitione, ne intra certum tempus ab alio imprimantur, uti & facultas testandi aut extra monasterium habitandi, indulta religiosis &c. Tholosan. *l. cit. cap. 36. n. 2.*

8. Demum Beneficialium etiam rescriptorum seu literarum Apostolicarum quædam Justitiæ, aliæ Gratiæ vocantur: sed sensu à generali rescriptorum partitione, n. 4. relata, diversò. Literæ enim beneficiales Justitiæ, quæ aliàs *in forma pauperum*, vel *in forma communi*, vel *Secundùm Apostolum* vocantur, sunt, quibus Papa diocesis Ordinario mandat, ut clerico pauperi sive ei, qui ab Episcopo sine beneficio vel patrimonio sufficiente contra sacrorum Canonum præscriptum ordinatus est, juxta c. *Cum secundùm 16. de Prabend.* conferat beneficium jam vacans aut proximè vacaturum. Unde tales literæ Justitiæ dicuntur, non quòd sint ad lites, aut quòd iis Papa rescribat ex obligatione; cum id omnino gratis & liberaliter præstet: sed quòd æquum justumque sit, ut clerico pauperi ad Ordines promotò beneficium conferatur; ut, *qui servit, alteri, de*



- ri, de alteri vivat, c. Cum secundum cit. pr. néve, rerum inopiâ premente, cum Ordinibus clericalis dedecore mendicare aut fordium aliquem questum exercere cogatur, contra can. Diaconi 23. V. Nunc autem dist. 93. & decretum Trident sess. 21. cap. 2. de Reformat. Gratia autem
9. litera sunt, quæ pro clericis etiam non indigentibus à Curia Romana emanant, ut in c. Possulasti 27. cum Joan. Andr. & Panormit. not. 3. observat Laiman ibid. n. 1.
10. Hujusmodi, sive litera beneficiales Gratia quædam obtinentur in forma Gratiola, quibus, cum filiis rubri croceque coloris expeditis, Papa Romæ confert clerico beneficium, v.g. canonicatum in mense Apostolico vacantem; & quod talibus literis clericum esse dignum supponatur, adjungit Bullam Executoriam seu mandatum ad deputatos executores, ut provifus in possessionem inducatur, Compescendò contraditores, sive eos, qui de facto contradicunt: non etiam eos, qui de jure contendere volunt; de horum enim causa executores cognoscere debent. Bulla hæc Executoria in eadem membrana Bullæ Gratiolæ conjungitur, si à Camera: si verò à Cancellaria Apostolica expeditur, ab illa separata chordas cannabis habet. Aliæ in forma Dignum conceduntur, quando, licet impetranti aliquando ad beneficium tribuatur jus, de eo tamen provifio non Romæ à Papa fit: sed faciendâ, aut saltem per tituli collationem perficiendâ, remittitur ad diocesis Ordinarium, vel ejus Officium seu Vicarium generalem cum mandato; ut præmissis examine clerico, pro quo scribitur, si idoneus reperitur, conferat beneficium, istiusque possessionem tradat, possessore quolibet amoto & contraditores compescendò, Flamin. Lib. 8. de de Resignat. q. 7. n. 109. & n.
11. 37. cit. Garcias cap. 2. n. 2. & Laiman in c. Dilectus 34. de Prabend. n. 1.
12. Præterea litera quædam seu mandata Apostolica, Si alteri, Si neutri, vel Si nulli à clausula inserta vocantur, & litem super beneficio motam supponunt. Dicuntur autem, Si alteri, quando duorum super beneficio litigantium unus, litis mentione factâ, à Papa impetrat literas, ut beneficium sibi conferatur sub conditione sive in eventum, quò constituerit alteri sibi colliganti jus in beneficio quæsitum non fuisse. Si neutri, quando, duobus super beneficio litigantibus, tertius aliquis aut etiam colligantium alter, eadem litis mentione factâ, beneficium sibi conferri impetrat sub conditione sive in casum, quò colligantium neutri jus in illo competitivifse, fuerit declaratum: & si ex colligantibus pluribus eorum unus vel tertius aliquis in talem eventum beneficium impetravit, litera Si nulli nucupantur. Quare hujusmodi litera irrita sunt, si beneficium litigiosum non sit: & super litigioso impetratæ effectu destituuntur, si colligantium alterum vel aliquem jus in beneficio habuisse, per sententiam fuerit declaratum: & si hoc nulli vel neutri neque etiam alteri competitivifse, confliterit, effectum suum primùm fortuntur, postquam jus nemini in beneficio competitivifse fuerit pronuntiatum, Azor cit. p. 2. lib. 6. cap. 32. q. 5. §. Sunt etiam & Honorius ad Rubr. de Prabend. p. 5. n. 7.
13. Litera etiam quædam à principio suo dicuntur Rationi congrua, & à Summi Pontificis Successore impetrantur, quando Prædecessor post gratiam per scripturam sive supplicem libellum tantum signatam, vel saltem per verbum Fiat concessam, decessit; tali enim casu successor re cognita super gratia Prædecessoris



cessoris sui clerico literas ad Ordinarium vel certum executores concedere solet, quarum in initium est, *Rationi congruis vel Convenit honestati, ut ea, qua de Romani Pontificis gratia &c. processerunt, cit. Azor §. alia.*

## ARTICULUS II.

De iis, à quibus Rescripta conceduntur & impetrantur.

### SUMMARIUM.

14. Rescripta à Principe supremo,
15. Super re quacunque concedi,
16. Et impetrari possunt à quovis, non prohibito.
17. Prohibentur servus, falsus procurator, Hæreticus,
18. Et excommunicatus.
19. Hic tamen ea variis casibus à Papa,
20. Et regulariter ab Episcopo,
21. Vel Principe seculari validè impetrat.
22. Pro alia Gratia, sine ullo:
23. Justitia Rescripta, cum mandato speciali impetrantur.
24. Non sufficit ratihabitio:
25. Nisi pro persona conjuncta,
26. Et aliquando à procuratore generali impetrentur.
27. Aut spectetur moderna Praxis.
28. Eadem impetrari possunt contra quemcunque.
29. Contra Cistercienses super decimis impetrata illorum,
30. Et aliquando privilegii mentionem exigunt.
31. Privilegio generali clausulà derogantur:
32. Nisi Jure corpore clausum,

33. *Vel cum clausula, specialem mentionem exigente,*
34. *Vel per modum contractus sit concessum.*

**R**escripta hæc tenentur declarata à solo Principe supremo; ac proinde ex Secularibus ab Imperatore, Rege vel alia potestate, in temporalibus superiorem non recognoscente: ex Ecclesiasticis à summo Pontifice, eorumque Cancellariis conceduntur, *c. Ad hæc 10. &c.* Inferiorum autem concessiones in scripto factæ relictis literæ Commissionis, Excommunicationis, Absolutionis &c. quam Rescripta nuncupantur, ut notat, & ex *c. Olim 25. V. Absolutionis* desumit Vallens. *hic §. 1. n. 2.*

Impetrari autem possunt super re quacunque, corporali vel incorporali, tam spirituali aut huic annexa, quam temporali merè que prophana: super qua litigari in judicio, quæ ex officio aut gratiâ vel ad instantiam concedi potest & solet, Hostiens. in *summa n. 8. & cit. Vallens. §. 4. n. 3.*

Eadem impetrari possunt à quocunque, sive actor sive reus sit, *c. Caterum 3. qui specialiter non prohibetur, Hostiens. l. cit. n. 3.* Jure autem prohibentur imprimis servus, *l. 1. c. de Precib. Imp. offer. nisi ex causis atrocissimis, l. cit. & l. Si dominus 2. ff. de his, qui sui vel alien. jur.* Deinde falsus aut revocatus procurator, *c. Ex parte 33. & demum Hæreticus, l. Nullus 2. c. de summa Trinit. & excommunicatus (excommunicatione majori, arg. c. Si quem 59. de Sent. Excom.) adeo, ut rescriptum ab ipso, super alio, quam Excommunicationis vel appellationis articulo, impetratum, ex eoque institutus processus non subsistat, *c. Dilectus 26. & c. 1. in 6. ubi Francus n. 3. & 11. Barbosa n. 2.* Ratio est; quia Hæreticus &c.*



Et excommunicatus incapaces sunt beneficii Ecclesiastici, c. *Postulasti* 7. de *Cleric. Excom.* Et *Quicumque* 2. §. *Heretici de Heretic. in 6.* Et in iudicio agere non possunt, c. *Intelleximus* 7. de *Judic. Et Decernimus* 8. de *Sent. Excom. in 6.* ceteraque cum fidelibus communicatione sunt privati, c. *Nulli* 8. Et c. *Si quem cit. eadem Rubr.* præterquam in casibus Jure specialiter concessis: etiamsi hæresis aut excommunicatio occulta, & propterea non sit vitandus; quia Extravag. *Ad evitanda*, à Martino V. in Concilio Constantiensi edita, ipsis excommunicatis nullus favor est indultus, Sylvester V. *Rescriptum* q. 2. Suarez de *Censur. disp. 17. f. 1. n. 4.* & Laiman in c. 1. cit. n. 5.

Neque obstat; quòd, si excommunicatus per exceptionem adversarii, vel à iudice ex officio non repellatur, sententia & omnia acta sint valida, c. 1. §. *fin. de Except. in 6.* quia hoc verum tantum est casu, quò coram iudice Ordinario: non etiam, quò coram delegato vi rescripti agit; cum enim hoc ipso Jure nullum sit, jurisdictionem tribuere nequit delegato, cujus jurisdictio initium sumit à rescripto, Glossa in c. 1. cit. V. *Processus* & ibi Laiman n. 3. Casu tamen, quò vi rescripti, ab Hæretico alicui excommunicato impetrati, delegatus communi errore populi, impetrantis inhabilitatem & rescripti vitium ignorantis, pro vero delegato Apostolico haberetur, ab eo acta & lata sententia, Jure jurisdictionis defectum propter utilitatem publicam supplente, valida forent, arg. l. *Barbarius* 3. ff. de *Offic. Præt.* Et §. *Veruntamen post can. Infamis* 3. q. 7. cit. Suarez f. 1. n. 4. & Laiman n. 5. in *fin.*

19. Excipiendi etiam sunt casus imprimis, quò impetrans excommunicationem primum incurrit post rescriptum

Justitiæ impetratum; tali enim casu processus ab eo coram iudice delegato institutus subsisteret, si per exceptionem aut ex officio non repelleretur, Glossa cit. Deinde, quò Papa excommunicationis conscius nihilominus rescriberet; cum sic rescribens, & regulariter quodcumque aliquem ad actum, Jure solum humano prohibitum, scienter admittit, in Jure potius dispensare, arg. l. *Quidam* 57. ff. de *Re judic.* quàm ludere voluisse censetur, concedendò literas, quas sine dispensatione aut absolutione scit nihil profuturas, Panormit. in c. *Nonnulli* 28. n. 11. & Suarez de *Censur. disp. 4. f. 2. n. 34.* Quod confirmatur ex praxi Curia Romanæ, Rescriptis fere omnibus absolutionem à Censuris, in ordine ad eorum effectum consequendum, præmittere solita, ut probè notant cit. Suarez *disp. 7. f. 8. n. 12.* & Laiman n. 4. Unde.

Dubium oritur de rescripto, quò 20. excommunicatus ab Episcopo vel à Principe seculari impetravit: in quo Episcopale validum: seculari autem irritum, censet Navarrus *Consil. 44. de Sent. Excom. n. 4.* Sed verisimilius pro valido utrumque habent cit. Suarez *disp. 17. f. 1. n. 3.* Laiman in c. 1. in 6. n. 4. Ratio de Episcopali est; quòd appellatione rescripti, absolute prolata, solum veniant responsa summi Principis, qualia non sunt Episcopi: qui fortassis etiam propterea in responsis suis scriptis absolutionem ad cautelam, ut in Papalibus solet, non præmittit. De Secularibus autem; quia, si hujusmodi rescriptum ab excommunicato impetratum non va- 21. leret, impetrans ad illius effectum consequendum habilis reddi non posset à Principe seculari, hoc ipso; quòd ab isto tolli non posset excommunicatio. De utroque demum; quòd præsentis Rubricæ subjunctis textibus, rescriptis solum



Apostolicis sive à Papa impetratis leges postas, ex fine & discursibus constet. Unde *c. 1. cit.* odiosa constitutio ad inferiorum aut secularium Principum rescripta non est extendenda, arg. *c. Odisia 15. de R. I. in 6.*

22. Porro Jure non prohibitus rescriptum, sive Gratia sive Justitia sit, consequi pro se indubitata potest: nisi ipse sit laicus, & rescriptum Beneficiale, *c. Ex literis 6. de Transact.* quia laicus beneficium Ecclesiastici non est capax, *c. In Ecclesia 2. de Institutionibus.*

An quis hujusmodi & alia Gratia rescripta impetrare pro aliis valide possit, dubium & controversia quaedam est; id enim, saltem de Gratia dispensationis, ad quam speciale mandatum exigit, negat Panormit. in *c. Immutuit 20. de Elect.* n. 10. permotus istius *c.* textu. Sed male; quia istud negatae dispensationis causa non fuit; quod petita fuerit absque mandato ejus, quocum erat dispensandum: sed, quod Capitulares illegitimum, omissa Postulatione, contra Jura eligere, & ita electi Confirmationem petere praesumpserint. Quare, eò non obstante, melius Suarez *Lib. 6. de LL. cap. 13. à n. 6.* & Laiman in *c. Nonnulli cit. §. Sunt & alii n. 5.* cum Felino in *c. cit. n. 45.* & Navarro *hic Consil. 2. §. 4.* docent, Dispensationis aut alterius Gratia rescriptum pro aliquo capace sine speciali jmo etiam generali mandato, valide impetrari, arg. *l. Universis 6. C. de Precib. Imp. off. cui legi*, id expresse permittenti, Jure Canonico quoad rescripta Gratia derogatum non est. Ratio est; quia ejusmodi Gratia à Papa etiam absenti & ignoranti concedi possunt motu proprio, *c. Accedens 14. de Praebend.* etsi huic ante acceptationem vel ratihabitionem jus in re non acquiratur, *c. Si tibi absenti 17. eadem Rubr. in 6.*

Cur id non possit, aliquo alio interveniente & pro altero petente?

Dubium secundò est de rescriptis Justitia. Non quidem, an ea quis licite impetret pro alio sine mandato istius speciali; hoc enim expresse vetatur §. *Sunt & alii cit. §. c. Ex parte 33. ibi, Si aliquis super aliqua questione de cetero sine speciali mandato domini literas Apostolicas impetrare praesumpserit, & literae non valeant, & ipse tanquam falsarius puniatur.* Sed, an ea irrita sint ipso Jure: quod cum Glossa in *c. cit. V. Speciali* aliqui negant propter verba, *non valeant*; quae, cum significationem futuri temporis habeant, indicant ad rescripti irritationem opus esse exceptione. Sed melius in §. *cit. cum Ant. de Butrio n. 18. Imola n. 4. Baldo n. 2.* & aliis affirmant Zöehus *ad hanc Rubr. n. 15.* & Pirrhing. *n. 12.* cum enim ex una, speciali mandato non instructus, ad hujusmodi rescriptum Papale pro alio impetrandum inhabilis sit: ex altera verò parte, inhabilitas personae faciat, ut actus sit nullus, propter defectum potentiae agendi, sine qua actus non subsistit: irritum erit rescriptum, quod pro alio sine mandato speciali est impetratum, ut cum Interpp. *cit.* docet Laiman in §. *cit. n. 3.* ubi hujusmodi rescriptum à principali, cujus nomine impetratum est, postea ratificari posse, negat: & locum esse ait Regulae *Quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere*, quae est *29. ff. de R. I.* Neque obstat; quod fictione Juris ratihabitione retro trahatur, & mandato equiparetur, *Reg. 10. in 6.* quia hoc verum tantum est, quando actus non valet propter solum defectum consentus illius, cujus nomine est gestus, & in cuius favorem requiritur: sicut in pactis, contractibus, litis contestatione accidere solet, *c. Quoties 2. de Pactis §. 1. Licet 56. ff.*



§ 6. ff. de Judiciis : non etiam , quando persona intuitu alicujus boni publici incapax reddita est ad agendum : sicut mandato speciali non instructus , ad diminuendas lites aliæque incommoda publica cavenda , ad impetrandum Justitiæ rescriptum inhabilis redditus est , §. Nonnulli Sc. Ex parte cit. in quo proinde locum habet Reg. 29. cit. Panormit. in §. cit. n. 5. Bartol. in l. Licet cit. & Laiman in §. cit. n. 4.

25. Excipiendæ tamen hoc locò sunt imprimis personæ , sanguine aliæve necessitudine conjunctæ , ut sunt parentes , liberi , fratres , affines & aliæ , quæ erga eos , pro quibus agunt , bene affectæ judicis arbitriò videbuntur : quæ pro illis , sicut in judicio , dummodo de rato caveant , agere , l. Sed & ha 35. in fine ff. de Procurat. ita etiam rescripta impetrare sine mandato speciali possunt , §. Sc. Ex parte cit. Panormit. in §. cit. n. 2. & Laiman n. 5.

26. Excipiendus deinde etiam est procurator generalis : qui in causis , speciale mandatum non exigentibus , sicut agere , c. Generali §. pr. de Procurat. in 6. sic etiam Justitiæ sive ad lites rescripta impetrare , non quidem domini , sed proprio sive procuratorio nomine à Papa potest , hoc ipso ; quòd coram eo , tanquam Ordinario omnium Christi Fidelium , ab eòve delegato causam prosequi possit , c. Sc. fin. de Foro compet. Panormit. in §. cit. n. 3. & Felinus ibid n. 11.

27. Dixi etiam , de jure communi , quia , spectatâ praxi & Stylo Curia Romanæ , rescripta ad lites , etiam pro extraneis sine speciali mandato impetrata valere , & exceptionem defectûs mandati non admitti , testes sunt Navarrus hac Rubr. Consil. 4. n. 9. Tholosan. in §. cit. n. 7. & Gonzalez ibid n. 6. quod præcipuè locum habet , quando ejusmo-

di rescripta clausulam *Ex certa scientia* insertam habent , pertradita à Felino in c. Cum inter §. de Except. n. 7.

28.

Impetrari rescripta possunt contra quemcunque , tam laicum quam clericum , etiam excommunicatû ; ne ex malitia sua commodum reportet , c. Intelleximus 7. de Judiciis : dummodo tamen is , contra quò impetrantur , concedentis jurisdictioni sit subjectus , Hostiens. l. cit. n. 6.

Si tamen à Papa contra monasterium vel professû Ordinis Cisterciensis rescriptum impetretur super decimis vel aliis rebus , super quibus speciale privilegium à Sede Apostolica ipsi indultum fuit , ut rescriptum valeat , & monasterium ejus vigore in judicio conveniri possit , expressa in eo mentio fieri debet Ordinis memorati , ex privilegio c. Cum Ordine 6. ipsi ab Alexandro III. indulto , & postea à Gregorio IX. renovato amplissimis literis , Illustrissimi ejus Ordinis Abbatibus & monachis universis inscriptis , quarum tenorem refert Gonzalez in c. cit. n. 5. ubi tamen cum Glossâ pr. Barbosa n. 7. monet , laudati Ordinis speciali mentione opus non esse ad valorem rescripti , vi cujus ille super rebus , super quibus specialiter privilegiatus non est , convenitur , argumentò à contrario deductò ex ipso c. cit. textu , hujusmodi mentionem exigente in rescripto , vi cujus Ordo iste convenitur *super decimis vel aliis , qua ei sedes Apostolica specialiter indultis*. Unde

Dubium oritur , an ad valorem rescripti , super decimis & aliis ejusmodi rebus impetrati , ultra expressam mentionem Ordinis necessaria etiam sit mentio privilegii , vg. immunitaris à decimis solvendis , ei competentis ; quod cum aliquibus absolutè negat Barbosa cit. n. 7. propter c. cit. textum , expressionem Ordinis sine ulla mentione privilegii exigentem.



gentem. Sed melius in c. cit. cum Panormit n. 3. & Baldo n. 16. Laiman n. 2. inter rescripta distinguit; cum ad valorem rescripti Gratia aliquid concedentis, quod ejus Ordinis privilegio derogetur, istius mentio requiratur, *can. Rescripta 25. q. 2. c. Super eo 15. junctâ Glossâ V. Intentionis de Offic. deleg. & l. Prator ait 2. §. 16. ff. Ne quid in loco publ.* Si autem rescriptum ad lites & meram Juris observantiam concessum sit, ejus v.g. immunitatis expressam mentionem fieri, necesse non sit; quia ejus reticentia præjudicium non avertit privilegato; cum iste, sicut alias exceptiones peremptorias, ita etiam immunitatis privilegium adversario objicere in litis progressu semper possit, c. 1. de Litis contest. in 6.

- Dubium secundò & magni in praxi usus quæstio est, an ad valorem Rescripti contra privilegatum impetrati sufficiat privilegii mentio generalis, v.g. *Cujuscunque Ordinis, etiam specialiter privilegiati & exempti*: vel necessaria sit specialis, quâ Ordo v.g. Cisterciensis vel privilegium in specie exprimat. Quia in re plurimum interest, an ejusmodi privilegium Juris communis corpore clausum sit, vel non; cum istò clausi specifica mentio faciendâ sit, secundum formam ipsò Juris privilegio expressam: Corpori autem illi non inserto regulariter sine specifica ejus mentione derogatur per clausulam generalem, *Non obstantibus quibuscunque privilegiis*, ut cum Panormit. in c. Cum instantia 17. de Censibus n. 5. & Felino in c. Nonnulli cit. n. 6. & 9. docent Suarez Lib. 8. de LL. cap. 38. n. 1. Laiman in c. Cum Ordinem cit. n. 4. & Donatus Tom. 1. Prax. Regul. p. 1. Tract. 14. q. 2. n. 1. & 2.
31. Ratio prioris est; quia eò ipsò; quòd privilegium Juris communis corpori insertum sit, non solum privilegium, sed Jus commune est;

cui rescriptò, clausulam derogatoriam solum generalem habente & non specialem legis vel canonis mentionem faciente, non derogatur; quia Papa Jura omnia, ac proinde istius corpore contenta privilegia, specialem derogationem ex ipsius juris communis dispositione exigentia, nosse, c. 1. de Constitut. in 6. & propterea, si eis derogandi voluntatem non exprimat, ea intacta relinquere censetur. Posterioris autem; quia, cum Papa communis Juris corpori non inserta privilegia omnia & singula nosse, eaque memoriâ complecti & exprimere non valeat, c. 1. cit. V. Quia tamen, privilegiorum revocatione generalia revocare censetur, eò ipsò; quòd genus ex sua natura omnes species comprehendat, l. Semper 147. ff. de R. I.

Dixi Regulariter imprimis propter hujusmodi privilegia, Juris quidem corpore non clausa, sed tamen tenore suo exprimentia, quòd nulla constitutione revocata censeantur, nisi ipsorum specialis mentio fiat: qualia multæ Religiones, præsertim Mendicantium, habent; talia enim, ut revocata censeantur, non sufficit clausula, *Non obstantibus quibuscunque privilegiis*: sed necessarium est, ut rescripto dicatur, *Non obstante tali vel tali*, specificè expressò, *privilegio*, vel, *non obstantibus quibuscunque qualitercunque vel quacunque verborum forma concessis privilegiis*, c. cit. Suarez n. 2. & Rodriguez Tom. 2. Regul. q. 2. art. 7. id colligentes ex S. Synodi Tridentina decretis, quibus plura Regularium privilegia sine magis expressa derogatione revocata asserunt. Ratio est; quia Papa, eò ipsò; quòd ad ejusmodi privilegia à verbo ad verbum exprimentia cogi, eaque omnia scire non possit, arg. V. Quia tamen cit, hujusmodi verbis privilegia revocandi voluntatem satis expressisse videtur. Deinde



34. Deinde, propter privilegia concessa per modum contractus, vg. in compensationem meritorum; cum enim eò contrahenti acquiratur jus, arg. l. Sicut §. C. de O & A. & juri alicui quaesito derogari non nisi ex gravi causa possit: & si non exprimat, derogatum non praesumatur, c. Super eo §. 16. cit. ut privilegio per modum contractus indulto derogetur, necessaria erit clausula, Non obstantibus privilegiis quibuscunque etiam si per modum contractus fuerint concessa, cit. Suarez n. 3. & Laiman n. 7. ubi monet, etiam talibus clausulis non derogari privilegio non subdito, vg. à Principe seculari concessio clericis & Ecclesiis, postquam id à privilegiato est acceptatum; quòd plenitudo potestatis non habeat vim derogandi juribus non subditorum, arg. c. Quae in Ecclesiarum 7. de Constit. Innocent. in c. Novit. 13. de Judic. ubi Panormit. n. 23. & Laiman Lib. 1. Tract. 4. cap. 23. n. 25.

## ARTICULUS III.

## De Rescriptorum Obreptione &amp; Subreptione.

## SUMMARIUM.

35. Rescripta veritate niti,  
 36. Et carere debent vitio Ob- & Subreptionis:  
 37. Quod Gratia ipsò Jure,  
 38. Justitia autem Rescripta irritanda reddit ope exceptionis.  
 39. Ratio differentia inter ea Rescripta,  
 40. Et Ob- ac Subreptionem:  
 41. Quae circa rem negotium concernentem,  
 42. Et causa non merè impulsiva, sed finalis rationem habentem,

43. Et consensum inducentem committitur.  
 44. Error in nomine diocesis Justitia:  
 45. Non etiam Gratia rescripta vitiat.  
 46. Rescriptum non vitiat Supressio veritatis cujuscunque:  
 47. Sed ejus, quòd exprimi postulat Jus vel Curia stylus.

35. **I**N omni Rescripto Apostolico subintelligitur clausula, Si ita est, vel Si preces veritate nitantur, etiam si non exprimat, c. Ex parte 2. §. C. Cum olim 25. Imò, secundum communem DD. Sententiam, Civili Jure irrita sunt rescripta Principis secularis, quibus ejusmodi clausula non est expressa, l. fin. C. de Divers. rescript. Quòd tamen textu, non eam clausulam necessariò exprimendam, sed solummodo quodlibet rescriptum sub ea conditione, licet non exprimat, prolatum sive concessum asseri, vult Pontius Lib. 8. de Marr. cap. 16. n. 3.

36. Veritate autem niti preces censentur, si non contineant Obreptionem vel Subreptionem: quarum altera interveniente rescriptum vitiat ex defectu consensus in rescribente, ad rescribendum inducto ignorantia vel errore, ut colligitur ex c. fin. de Filiis presby. in 6. quia consensui nihil tam contrarium est quam error, l. Si per errorem 15. ff. de Jurisdic. §. l. Non idcirco 9. C. de I. & F. ignor.

37. Non eòdem tamen modò vitiantur omnia Rescripta sub- vel obreptione impetrata: sed ea, quae Gratia, irrita sunt ipsò Jure: quae verò Justitia dicuntur, irritanda sunt ope exceptionis, prout de prioribus habetur c. fin. cit. c. Ad audientiam 31. hanc Rubr. c. Si motu 23. de Praebend. in 6. & Clement. 1. eadè Rubr. quibus textibus hujusmodi concessionem ob- vel subrep-

T



subreptitiæ, *Vires non obtinere, Nullius penitus esse momenti, & Si quid earum prætenu factum est, in irritum dicitur revocandum.* De posterioribus autem patet ex *c. Si autem 9. & c. Plerumque 23.* vi quorum textuum Rescriptum Justitiæ posterius, alterius prius impetrati mentionem non faciens, ope exceptionis rejici potest intra annum: non etiam post istius lapsum. Unde rectè infertur, non esse irritum ipsò Jure; quia aliàs eò uti non liceret etiam post annum; cum tractu temporis convalescere non possit, arg. *Reg. Quod ab initio 29. ff. & Reg. Non firmatur 18. in 6.* Ita cum Panormit. in *c. Ad audientiam cit. n. 14.* Felino *ibid. n. 17.* Menochio *de Arbitr. casu 201. n. 2.* & aliis Sanchez *Lib. 8. de Matr. disp. 21. n. 3.* & Barbosa in *c. Super literis 20. n. 6.*

Rationem differentiae inter hæc rescripta optimam reddit Felinus in *c. Ad audientiam cit. n. 22. in fine*; quòd illa majoris præjudicii sint, quàm ista; quia rescripta Gratiae v.g. Beneficialia, cum impetranti tribuant jus, fere negotium quasi definiunt: ea verò, quæ Justitiæ sunt, cum ad lites dentur, & vel solum judicem designent, vel declarent Jus, aut modum procedendi præscribant, negotium solummodo committant & præparent, ut justè definiti possit. Non displicet etiam, quam in *c. cit.* reddit Fagnanus *n. 37.* quòd, cum rescripta Gratiae non respiciant partem litigantem, cujus de Ob. vel Subreptione excipere interfit, sicut ea, quæ Justitiæ sunt, majus periculum sit indebiti usûs illorum, quàm istorum; ac proinde major illa, quàm ista ipsò Jure irritandi necessitas fuerit.

Esti verò Subreptionis, & Obreptionis nomina sæpe confundantur, & passim omnia rescripta malè impetrata Sub- & Obreptitiæ promiscuè vocentur apud

Decium in *c. Super literis cit. n. 1.* propriè tamen Obreptio committitur per narrationem seu expressionem alicujus falsi: Subreptio autem per reticentiam seu suppressionem veri, *can. Dicenti 25. q. 2.* aut etiam confusam & perplexam ejus expositionem; ut notat Innocent. in *c. Dilecta 22.* & Barbosa in *c. Super literis cit. n. 3.* & Obreptitium dicitur Rescriptum, quod per narrationem alicujus falsitatis: Subreptitium autem, quod per alicujus veritatis reticentiam aut confusam narrationem fuit impetratum, ut colligitur ex *can. cit. c. Super literis cit. l. Prescriptione 15. C. Si contra Jus &c.*

Porro, ut Rescriptum tanquam Ob. vel Subreptitium vitietur, non sufficit primò expressio falsi vel suppressio seu reticentia veri cujuscunq; ad negotium per se & intrinsecè non pertinentis; sic enim, si precatore Medicus se ICT<sup>um</sup> vel Theologus Canonistam aut faber pictorem vocet, vel pro die mensis 10. exprimat 20. non vitietur rescriptum; quia narratio ejusmodi falsitatis, aut veritatis negotium non concernentis reticentia Papam non movere ad rescribendum, Laiman in *c. Super literis cit. n. 1.*

Neque secundo etiam sufficit expressio vel suppressio rei, aliquò modo negotii concernentis, si ea solum impulsivæ, non finalis causæ rationem habeat, ut cum Decio in *c. Super literis cit. n. 33.* Sylvestro *V. Rescriptum q. 6. & 7.* Covarruvia *Lib. 1. var. cap. 20. n. 5.* Menoch. *de Arbitr. casu 201. n. 30.* & aliis Interpp. & DD. tradunt Sanchez *cit. disp. 21. n. 32.* & Laiman *cit. n. 1. §. Ulterius*; sic enim vitiosum non esset rescriptum impetratum ab Augustano Suevo, qui se Fridbergensem Bavarum nominasset; quòd nationem Suevicam, propter VV. ipsius Imp. in Romanos Pontifices odia exorsam dicitur.



sam, difficilior: Boicam verò, propter istius Principum eximia in Ecclesiam Catholicam & Republicanam Christianam Universam merita, facilius Romæ audiri crederet; quia ex una, expressio falsæ & suppressio veræ causæ solummodo impulsivæ, non infert nec tollit voluntatem in Principe concedente: qui illâ etiam non expressâ, & hâc expressâ, etsi fortè minus promptè, certò tamen, & eâdem formâ rescriptum fuisset concessurus, Laiman l. cit. & Sanchez cit. disp. 21. n. 17. & 32. ex altera verò parte, suppressio vel expressio ejus, quò cognitò vel non cognitò gratia minus quidem promptè, sed tamen concessa fuisset, rescriptum irritum non reddit, c. Dudum 24. V. Nos igitur de Præbend. in 6. ex cujus decisione gratiæ valori non obest taciturnitas veri, quò cognitò Papa illam nihilominus concessisset: & arg. c. fin. de Filiis Presb. in 6. quò propter reticentiam defectus natalium dispositio pro irrita ideo solum habetur; quòd eò in impetrationis litteris expressò Apostolica sedes dispensatura verisimiliter non fuisset. Confirmatur paritate legati, quod ex defectu causæ eò solum casu vitatur, quò probatur testatorem eò cognitò legaturum non fuisse, l. Cum tale 72. §. 6. ff. de Condit. & demonstr. Imò aliarum etiam dispositionum, quarum valori solius finalis (non impulsivæ duntaxat) causæ defectus obstat, ut ex c. Cum cessante 60. de Appell. & l. Si mulier 25. c. de Jure dotium cum Anchorano Consil. 47. & Angelo Consil. 346. tradit Tiraquellus Traçt. de Cessante causa limit. 1. à n. 2.

Obstare quidem huic doctrinæ videtur c. Postulasti 27. ubi taciturnitas Vicariæ vitavit rescriptum: & tamen fuit causa solum impulsivæ; quia ejus expressio tantum fecit, ut minus promptè al-

terum beneficium concederetur, ut patet ex verbis, Pro habente beneficii competentis subsidium non de levi rescribimus. & ex c. Significante 34. cujus textu pro irritò habetur rescriptum; quòd diocæsanus Leodiensis eò appellatus fuerit Rhemensis. Sed revera ei neuter textus obstat; quia prioris verborum, Non de levi, non est sensus, quòd Papa quidem, ad non ita promptè & cum aliqua difficultate rescribat: sed, quòd non facile contingat, ut rescribat pro habente beneficium, non factâ mentione prius obtenti. Unde suppressio Vicariæ habuit rationem causæ finalis, ut cum Decio in c. Postulasti cit. n. 11. notant citi: Sanchez n. 17. & Laiman n. 3. Posteriori autem textu relatæ literæ Apostolicæ vitiosæ fuerunt, vel; quòd mens Papæ non fuerit causam delegare iudicibus Rhemensibus, sed Leodiensibus, ejus scilicet diocæsis, cujus erat reus, contra quem rescriptum fuit impetratum: vel; quòd iudices delegati distarent ultra duas dietas à diocæsi rei, coram iis conveniendi; quæ juxta c. Nonnulli 28. pr. Imò recentiori Jure c. Statutum 11. §. Cum verò in 6. unius solum dietæ distantia subreptitium reddit rescriptum; nisi in isto dietis expressè derogeretur, Laiman in c. Significante cit. n. 3. & Haunold. de l. & l. Traçt. Proem. n. 344.

Neque cum hac istius textus expositione pugnat; quòd error in nomine, aliisque signis, rem denotantibus, dispositioni non obstat, si nota sit res, quam ea concernit, l. Demonstratio 17. pr. & §. 1. ff. de Condit. & demonstr. l. 4. ff. de Legatis 1. cujus verba sunt. Si quis in fundi vocabulo erravit, & Cornelianum pro Semproniano nominavit, debetur Sempronianus, & §. Si quidem in nomine 29. Instit. de Legatis, ubi hujus ratio redditur; quòd nomina significandorum bo-



minum (& rerum) gratiâ reperta sint: qui, si alio quolibet modo intelligantur, nihil interfit. Non, inquam, cum ea hæc pugnant; quia, licet vera sint, quando nomen solum adjicitur per modum demonstrationis, sicut factum *ll. cit.* aliter tamen res se habet, quando id adjicitur per modum taxationis, ut DD. loquuntur, sive determinationis: sicut fit *c. cit.* in cujus casu, si eum, contra quem rescriptum impetratum est, non Rheimensem, sed Leodiensem esse constitisset, causâ cognitio Leodienfibus, non Rheimensibus judicibus: vel non tali modo & formâ, sed cum clausula dietarum derogatoria fuisset delegata, ut notat Laiman *cit. n. 3. in fine* & præter alios observant *cit.* Suarez *n. 39.* & Haunold *n. 344.*

45. Notandum hoc loco est discrimen inter rescripta Justitiæ & Gratiae; cum, si ea Justitiæ sint, iisque jurisdictio ad causâ ad sedem Apostolicam delatâ vel devolutâ cognitionem definitionemque committatur, error in nomine diœcesis judicium, quibus committitur, literas inficiat ac vitiet, *c. Significante cit.* quod Papa causam vel propriâ ipsius rei, non extraneâ diœcesis judicibus: vel non eodem modo ac formâ, sed cum clausula dietarum derogatoria soleat delegare, *c. Nonnulli 28. hic & c. Statutum 11. §. Cum verò in 6. ut jam dictum n. 43.*

Si verò literæ sint Gratiae, interesse multis videtur, an ad præviâ supplicationem Papa ipse gratiam concedat, v.g. alicui de beneficio providendò, cum eòve actualiter dispensandò: vel gratiâ concessionem v.g. collationem beneficii vel dispensationem super impedimento suo nomine faciendam committat; cum, quando gratiam Papa ipse concedit, error in nomine diœcesis vel prænomine Oratoris literas non vitiet, ut ad mentem Panormit. *in 6.*

*Significante cit. n. 4.* & aliorum docet Gobat *Experient. trakt. 8. n. 741.* Ratio est; quia talis error non est causâ finalis gratiæ; eum istam intuitu causâ, in impetrationis literis expressâ, à Papa concessam, satis constet; ut ad eò hujusmodi Gratiae literas Officialis diœcesis ipsius impetrantis exequi valeat, non obtinente erroneâ expressione Officialis diœcesis extraneæ: à quo illarum executionem suscipi non posse, certum est; propter defectum voluntatis in Papa delegante, literarum executionem non alienâ, sed propriâ diœcesis Officiali committere intendente, ad mentem S. Synodi Trident. *sess. 22. cap. 5. de Reformat. Perez disp. 26. de Matrim. f. 8. n. 18.* Si autem Papa gratiam primum faciendam committat, errore in nomine Officialis literas vitari; atque idcirco istas executioni mandari, sicut ab alienâ per errorem literis expressâ, propter defectum voluntatis Papæ rescribentis: sic etiam à propriâ diœcesis ipsius impetrantis officiale non posse, *cit. Perez n. 18. & 19. & aliis DD. relatis existimat cit. Gobat n. 740.* Rationem reddit; quia huic potestatem suam communicare Papa non intendit, hoc ipso quod expresserit officialem alienum.

Verùm, quia Papa, literarum Gratiae executionem alicui committens, eam secundum Jus commune committere, intendisse præsumitur, *c. Ecclesia 57. V. Neque enim de Elect. & l. Si quando 35. pr. C. de Inoffic. test. casu,* quò alienâ diœcesis officialis per errorem expressus est, ejus in officialem diœcesis impetrantis propriâ consensus (jure hunc declarante, *cap. 5. cit.*) non desideratur, Salas *disp. 20. de LL. n. 123.* Pontius *Lib. 8. de Matr. cap. 17. n. 43.* & Diana *Summa V. Dispensatio n. 100.* Quare *c. Significante cit.* decisionem in Gratiae literis utroque, cum *cit.* Sanchez *n. 39.*



n. 39 & Corrado *Lib. 7. Prax. dispensat. cap. 5. n. 39.* vel potius neutro hoc casu procedere, cenfeo cum Panormit. *n. 4. cit.* ita distinguente, *Aut impetrans expressa vera diacepsi literas ( cum iisdem clausulis ) habuisset ? & tunc error non habet vitare : si, ut in propositis gratiæ literis, constat de corpore, sive re per gratiam concessa. Aut expressa vera diacepsi literas non habuisset ? & tunc error habet vitare.*

46. Neque tertio ad Rescriptum vitandum sufficit suppressio cuiuscunque veri, etiam quod habere potest rationem causæ finalis, sive talis, quod expresso Papa moveri posset ad non rescribendum ; quia plura sunt, quæ si exprimerentur, ut *vg. scelerata vita impetrantis, ad non rescribendum moverent : & tamen eorum taciturnitas non vitiat rescriptum, ut pluribus DD. relatis advertunt Sanchez cit. disp. 21. n. 12. & 17. & Garcias p. 8. de Benef. cap. 3. n. 20. & p. 11. cap. 3. n. 121.*

47. Sed requiritur, ut narratio rei sit talis, quam, si falsa sit, non exprimi : & veritas talis, quam, si subfit, exprimi, Jura vel Consuetudo seu praxis & stylus Curiae Romanæ sic requirunt, ut rescriptum aliter valere aut firmum esse nolint. Ita cum Decio in *c. ad Aures 8. à n. 28. Covarruvias cit. n. 5. Menochius casu cit. n. 28. Gutierrez Q. Canon lib. 2. cap. 15. n. 38. & 51. Flaminus de Resignat. Lib. 10. q. 2. n. 14. & aliis relatis cit. Sanchez n. 13. & 16. Ratio de requisitis à Jure est ; quia, cum Jus alicujus conditionis vel qualitatis expressionem exigit, eam exigere intelligitur pro forma, ut colligitur ex *c. Simon tu cit.* ubi rescriptum vitiat suppressio modici beneficii : quod aliunde, quam ex defectu formæ provenire non potest. Cum ergo forma ad unguem etiam in minimis observanda sit : & sicut quicum-*

que alius actus, sic etiam rescriptum sine ea validum firmumque esse non possit, ut arg. *l. Cum hi 8. §. 17. ff. de Transact. & l. Qui Romæ 122. §. 2. ff. de V. O. cum Baldo in c. Cum adeo 17. DD. n. 4. & aliis docet Suarez Lib. 5. de LL. cap. 32. n. 9. Vitiosum erit rescriptum, quod aliquid contra Jus exprimitur vel reticetur. De Consuetudine autem & stylo Curiae ratio est ; quia Consuetudo pro lege suscipitur, *l. Sed & ea 35. ff. de LL. & stylus Curiae Jus facit, c. Quam gravi 6. de Grimine falsi ;* ideoque eadem ratio est requisitorum à Consuetudine & stylo Curiae, quæ est requisitorum à Jure.*

## ARTICULUS IV.

## De variis Justitiæ &amp; Gratia Rescriptis Ob. vel Subreptitiè impetratis.

## SUMMARIUM.

48. Tale est rescriptum Justitiæ posterius sine mentione prioris, ab alio.  
49. Vel ab eodem, in eadem causa impetratum :  
50. Quò reticentur diæta,  
51. Vel causa spoliationis à iudice facta,  
52. Aut impetrantis personam esse miserabilem, falso narratur.  
53. Quò persona privilegium, formatum dans rescripto :  
54. Super causa pendens lis ac processus  
55. Lata sententia, Appellatio, resuscitata,  
56. Laudum vel transactio reticetur,  
57. Vel mandatur Inquisitio specialis, sine mentione diffamationis.  
58. Vitiosum est rescriptum beneficiale, quò impetrantis inhabilitas,  
I 3 59. Bene-



59. Beneficium etiã tenue vel dignitas,  
 60. Jus, quod habet ad beneficium,  
 61. Et aliquando etiã, quò beneficium Manuale, clericalis pensio vel patrimonium reticetur:  
 62. Quò supprimitur qualitas beneficii impetrati, si id curatum,  
 63. Patronatum vel electivum,  
 64. Unitum, vel situm sit in Ecclesia Cathedrali:  
 65. Quò non exprimitur nomen Sancti Ecclesie inferioris,  
 66. Et quadam alia beneficiorum qualitates:  
 67. Aut exprimitur falsus beneficii valor,  
 68. Eius annexa obligatio residendi reticetur.  
 69. Ad Subreptionem excludendam exprimens est modus vacationis beneficii,  
 70. Et aliquando persona, per cuius obitum vacat:  
 71. Uti & jus ad beneficium,  
 72. Colorata ejus possessio, quam alius habet,  
 73. Et rescriptum super beneficio impetratum ab alio.  
 74. Quæ omnia fere de solis rescriptis Apostolicis procedunt.

48. **U**T Regularis hæc & usus pene quotidiani doctrina luculentius pateat, illustrare eam juvat variorum rescriptorum, ex ob- vel subreptione vitiosorum, exemplis: & imprimis quidem Justitiæ. Sic enim primò vitiosum est hujusmodi rescriptum posterius, quò Titius causam, inter se & Cajum controversam, impetravit delegari iudicibus BB, si non faciat mentionem rescripti prius impetrati à Cajo, quò eadem causa delegata

fuit iudicibus AA. *c. Caterum 3.* ut adeo alterum illud rescriptum non obstet, quò minùs primò istò delegati iudices ad decisionem causæ procedere possint, Laiman *in c. cit. n. 1.* Ratio est; quia rescriptum impetrans Papæ exponere tenetur ea, quæ ipsum ad rescribendum vel non rescribendum aut aliter rescribendum movere possunt; ut, si tale aliquid non exponatur, rescriptum vitietur, *c. Ex literis 20.* Papa autem, si in causa ad se delata rescriptum præcessisse scivisset, alterum non facillè, aut non ita fuisset concessurus, Vivianus *in c. Caterum cit. pr. & ibi Gonzalez n. 6.* Nisi tamen prius rescriptum ex negligentia vel malitia in eo expressis iudicibus, cum potuisset, intra annum non fuisset præsentatum, *c. Plerumque 23. & l. Falso 2. C. de Divers. rescript.*

Secundò, casu, quò idem Titius super una eademque causa impetrat duo rescripta, illam delegantia iudicibus diversis, posterius subreptitium est, si in eo non fiat mentio prioris, validè impetrati. Imò, si post præsentationem prioris, eò delegato iudici jam factam, uti etiam posteriori cepit, prioris quoque commodò privatur, *c. Ex tenore 16.* Privatio tamen ista, cum pœnalis & malitiosò posterioris rescripti usu commissa fraudi imposita sit, ut ex ipso textu liquet, verisimiliùs non incurritur, si ex circumstantiis appareat vel probetur, secundum rescriptum bona fide & ad cautelam fuisse impetratum; quòd impetrans adverteret, primum ob defectum aliquem esse vitiosum, & per exceptionem posse elidi, eòve delegatum iudicem esse moriturum, aut ad remotas terras discessurum, ut *in c. cit.* cum Glossa *V. Commodò* notant Panormit. *n. 5. & 6.* Decius *n. 5.* & Laiman *n. 4.*

Tertiò, subreptitium est rescriptum, quò re-



quò reticentur dietæ, si reus ultra duas, *c. Nonnulli 28. pr.* & Jure novo ultra unâ dietam extra propriam suam diocësin ad iudicium trahatur, *c. Statutum 11. §. si verò in 6.* Cui Apostolicæ provisioni ansam præbuere fraudes hominum, causarum suarum delegationes Apostolicas malitiosè impetrantium ad iudices remotos; ut rei laboribus & expensis fatigati vel terrii cedere liti vel importunitatem actoris redimere compellantur; huiusmodi enim injuriis ut obviaretur, reique in posterum obnoxii non essent, *cc. cit.* irritata sunt Justitiæ rescripta, quibus rei ultra duas, jmdò unam tantum dietam, non ò loco domicilii, sed à fine diocësis, in qua habitant, computandam, ad iudicium extrahuntur, cum gemina tamen exceptione. Una est, nisi ad iudicem à diocësis finibus remotiorem de consensu partium literæ sint impetratæ; cum enim hæc dietarum restrictio in favorem rei introducta sit, iste huic favori suo poterit renuntiare, *c. Ad Apostolicam 16. de Regular. §. e. Si de terra 6. de Privileg.* Altera, nisi rescripto inserta sit clausula, *Non obstante Constituzione de duabus dietis*, Felin. in *c. Nonnulli cit. n. 2. ubi Laiman n. 2. Fagnan. à n. 12. & Gonzalez n. 7.*

§ 1. Quartò, subreptitium ac vitiosum est rescriptum, quò mandatur restitutio spoliati contra iudicem, à beneficio v.g. removementem, si in illo non fiat mentio causæ spoliationis v.g. excommunicacionis, *c. Dilectus 26.* Ratio est; quia contra iudicem judicialiter procedentem, super spoliacione & restitutione ante omnia faciendâ, literæ Apostolicæ in forma communi non conceduntur, & spoliatus non restituitur, priusquam an iudex partem spoliandò justè vel injustè processerit, constet; atque idcirco necesse est, ut in rescripti impetratione men-

tio fiat causæ spoliacionis, v.g. à beneficio amotionis, Glossa in *c. cit. V. Viribus carere*, ubi Panormit. *n. 4. Felin. n. 1. & Laiman n. 4.* Secus esset, si iudex aliquem extrajudicialiter, non servato ordine Juris, & v.g. non citatum spoliasset, vel notoria esset injustitia spoliacionis; cum enim tali casu privati instar reputetur, *c. Dilectus cit.* decisio non obstante, spoliatus ante omnia restitueretur, *c. Conquerente 7. de Restitut. spoliat. & subsisteret rescriptum, causâ spoliacionis suppressâ, impetratum, Pirrhing ad hanc Rubr. n. 82.*

Quintò, si precator, ut impetret § 2. rescriptum, vi cuius summarè & de plano debeat procedi, falsò suggerat, se esse personam miserabilem, *arg. l. Unic. C. de Mendic. valid.* Fagnanus in *c. Super literis cit. n. 27.* Ratio est; quia Papa, si impetrantis personam non esse miserabilem, scivisset, ut summarè & de plano procederetur, non rescripsisset, Laiman in *c. cit. n. 2.*

Sextò, si rescriptò non exprimitur § 3. conditio personæ privilegiatæ, contra quam illud est impetratum, saltem quando privilegium respicit exceptionem dilatoriam, & formam dat rescripto impetrando: ut si persona sit miserabilis vel scholaris, Innocent. in *c. Significantibus 38. de Offic. deleg.* Secus esset, si privilegium respiceret merita causæ; cum enim istius merita in ipso litis progressu deduci valeant, ejusmodi privilegii in litteris impetrationis mentionem facere non est necesse, Rebuffus *Prax. benef. Tit. de Different. rescript. n. 22. & Menoch. de Arbitr. casu 202. n. 39.*

Septimò, subreptionis vitio laborat § 4. rescriptum, si in eo mentio non fiat litis ac processûs super re, super qua illud impetratum est, inter impetrantem & eum, qui ex rescripto conveniendus est, penden-



pendentis: imò per solam citationem aut expeditum istius decretum inchoata, Glossa in c. Super literis cit. V. Literas, ubi Felin. n. 12. Berolius n. 72. uti & iudicis, Ecclesiastici vel Secularis, Ordinarii vel Delegati, coram quo inchoata lis & processus pendet, Felin. l. cit. Panormit. in c. Prudentiam 21. §. Sexta de Offic. deleg. n. 9. & Menoch. casu cit. à n. 4.

55. Octavo, ex eadem Subreptione vitiosum est rescriptum, in quo reticetur, super re, super qua illud impetratum est, in causa jam conclusum, latam super ea sententiam, Glossa V. Literas cit. ab ista interpositam appellationem, c. Ex parte 12. hic & c. Bona 3. de Confirmat. utili, eamve in rem iudicatam transivisse, c. Exposuisti 11. de Arbitris, cum; quòd ejusmodi causæ statu non expresso rescripta calumniosè ad lites protelandas impetrata credantur: tum verò; quòd, cum res iudicata pro veritate habeatur, l. Res iudicata 207. ff. de R. I. eam rescriptò subvertere velle Princeps, si inserta clausula non exprimat, non præsumatur, cit. Felinus n. 12. & 14. Berolius n. 72. & latè Menoch. à n. 40.

56. Nonò, simili modo, si causa laudò sive arbitri compromissarii pronuntiatione, vel transactione terminata jam sit, & partium altera litem inchoatura impetret rescriptum, ad excludendum subreptionis vitium necesse est, ut in impetrationis literis laudi vel transactionis mentio fiat, Glossa cit. & in c. Ex multiplici 3. V. Intentionis de Decimis & cit. Menoch. à n. 55. Ratio eadem est; quòd Papa causam vel litem, laudò vel transactione legitima definitam, rescriptò recusare velle non præsumatur, nisi addita clausula, Non obstante laudò vel transactione, l. Causas 16. C. de Transact. ubi Bruneman, n. 4.

Decimò, ob subreptionem vitiosum est rescriptum Papæ vel alterius Principis, non motu proprio, sed ad instantiam sive postulationem partis, inquisitionem specialem super certis criminibus contra aliquem, nulla præcedentis diffamationis vel huic æquivalentium indiciorum mentione factâ, committentis, ut ex c. Inquisitionis 21. §. Tertia, c. Qualiter 24. de Accusat. & c. Si is, cui 2. eadem Rubr. in. 6. cum Glossa in c. cit. V. Fuerit desumunt Menoch. de Arbitr. Lib. 1. q. 78. n. 4. & Farinac. Prax. Criminal. q. 9. n. 1. & 10.

Gratiæ quoque, & Beneficialiæ præsertim rescriptorum, ex ob-vel subreptione vitiosorum, exempla permulta referuntur à Felino in c. In nostra 32. à n. 9. Selva de Benefic. p. 3. q. 11. & cit. Menoch. casu 201. à n. 32. ferèque concernunt vel ipsam personam impetrantis: vel qualitatem beneficii: vel modum vacationis: vel Jus, quod in aut ad beneficium alius habet.

Quoad personam impetrantis expressimenda in Supplicationis literis est imprimis ejus habitus & idoneitas, vel potius defectus, illum beneficii sine dispensatione obtinendi reddentes incapax, ut sunt Clericatus, Ordinis, legitimorum natalium, ætatis ad beneficium requiritæ defectus, & irregularitates aliæ undecunque provenientes, ac censuræ, si qua est irretitus, c. Cum adeo 17. c. Si eo tempore 9. in 6. c. Ex literis 6. de Transact. c. fin. de Cleric. excom. ministr. c. fin. de Filijs presb. in 6. cit. Selva q. 11. n. 154. Menoch. n. 34. & Azor p. 2. Institut. Lib. 6. cap. 33. q. 10. §. Unde. Ratio est; quia Papa Jus relaxare, si non exprimat, non præsumitur; cum verisimile non sit, Principè, cujus est Jura tueri, ea tot vigiliis excogitata & inventa unò rescriptò subvertere velle, c. Ecclesia 57. de Elect.



59. Deinde exprimendum est beneficium etiam unicum ante obtentum, *c. Cum adeo cit. Et. Postulasti* 27. licet id tenue & ad congruam sustentationem insufficiente sit, *c. Si proponente* 42. junctâ Glossâ *V. Minus competens hic c. Non potest* 21. *pr. Et. Si motu* 23. *de Prabend. in 6. Quin*, Si beneficium, quod obtinetur, Dignitas sit vel personatus, id quoque, ne gratia subreptitia evadat, exprimendum est, *c. Ad aures* 8. non solum, si pro minoribus, sed & si pro majoribus Papæ supplicetur, ut cum Innocentio *in c. cit. pr. & Panormit. n. 2.* ad verba *Super minoribus* subaudientibus dictionem *maximè*, notat Pirrhing *ad Rubr. cit. n. 6.* Ratio est; quia Papa de beneficio ei, qui aliquod jam obtinet, providere, si non exprimat, non intendit, *c. Postulasti cit. in fine*, atque idcirco de Curia Apostolicâ Stylo prius obtenti mentio sic exigitur, ut aliter gratiam valere nolit, *c. Si motu cit. in fine*. Atque hæc procedunt, etiam si supplicans beneficium, quod obtinet, per renuntiationem se dimisurum promississet: imò &, si id jam dimississet, sed renuntiatione necdum admissa esset à superiore, *citt. Felin. n. 19. Et 31. Selua n. 100. & Menoch. n. 47.* quia ante renuntiationis admissionem beneficii titulus, possessione duntaxat amissâ, retinetur.

Excipiunt tamen DD. & antè obtenti beneficii mentionem ad subreptionis vitium excludendum exigunt: Nisi primò super beneficio obtenta gratia Apostolica *Motu proprio* emanet; quia motus iste, cum ex mera Principis liberalitate procedat, ex veritatis aliâ exprimendæ reticentia proveniens subreptionis vitium tollit, *c. Si motu cit. Clement. Si Romanus 4. de Prabend. Glossa V. validam & Franc. in c. Si motu cit. n. 1.* Secundò, nisi beneficium à Papa impetrans alterius, sibi absentis ab Episcopo

collati, probabile ignorantiam habuisset; cum nulla istius facta mentione impetrata gratia Apostolica jure subsistat, ex Constitutione Bonifacii VIII. *c. Gratia* 7. *in 6.* quòd ante beneficii, sibi absentis & ignorantis ab Ordinario collati, acceptatione nihil penitus juris absoluti in illo habeat, sed solummodo consentiendò & acceptandò jus in eo ipse possit acquirere, & ante ipsius voluntatis declarationem beneficium alteri nequeat conferri, *c. Si tibi absentis* 17. *de Prabend. in 6. citt. Selua q. 12. n. 89. Menoch. n. 52. & Laiman in c. Gratia cit. n. 1.* Hoc tamen casu, si utrumque beneficium secundum sacros canones obtineri & retineri simul non possit, eò, quòd impetrans maluerit, retentò, alterù dimittere tenetur, *c. cit. in fine.*

Demum jus ad beneficium competens v.g. ex electione, præsentatione, gratia Expectativa, *c. In nostra cit. & beneficium*, quò supplicans injustè spoliatus est, aut quod per vim occupatum ipse de facto retinet, *arg. c. Eum qui 18. de Prabend. in 6. citt. Felin. n. 7. Et 10. Selua q. 11. n. 4. Et 5. & Menoch. n. 44. Et 45.* Ratio prioris partis est; quòd per spoliationem amissi beneficii retineatur titulus, solâq; possessio sit amissa: posterioris verò; quòd beneficium absolutè, licet injustè, habeat: & laboret vitio intrusionis, à quo absolvendus est, ut beneficii legitime obtinendi sit capax, Laiman *in c. Postulasti cit. n. 4.*

Dubium est de expressione beneficii Manualis & pensionis Clericalis: Et illius quidem sive Manualis beneficii mentionem necessariam, cum *citt. Menochio n. 46. asserit Palao Tract. 13. disp. 2. p. 31. §. 4. n. 3.* ductus generalitate *c. Si proponente cit.* cujusvis, etiam minus competentis beneficii mentionem, sine ulia inter perpetuum & temporale distinctione vel exceptione, exposcentis. Sed, ut

U



Sed, ut hoc de manuali in titulum collato verum, trahendum tamen non est ad manuale, Vicariæ temporalis instar in titulum non solitum concedi; talis enim retentiâ beneficalem gratiam Subreptitâ evadere, meritò negant *citt.* Felinus *n.* 18. & Selua *n.* 19.

¶ 1. Pensionis quoque mentionem necessariam cum Beroio *in c. Super litteris* 20. *n.* 72. vult *citt.* Menoch. *n.* 51. Sed locus, imò opus est distinctione inter rescripta sive literas beneficiales Justitiæ & Gratiæ, *n.* 5. declarata: & in supplicatione quidem pro ejusmodi rescripto Gratiæ pensionis clericalis, uti & præstimonii, si in beneficii titulum data non sint, sed stipendii duntaxat ad vitam honestè ducendam, ut pensio laico assignata, habeant rationem, eorum mentionem ad excludendum subreptionis vitium non exigi; Si verò pro ejusmodi rescripto Justitiæ sive in forma pauperum obtinendo Papæ supplicatur, obtentæ ejusmodi pensionis & præstimonii mentionem necessariò faciendam, secus literas subreptitias fore, & aliorum Justitiæ rescriptorum instar opæ exceptionis infirmari posse, notant Laiman *in c. cit.* *n.* 2. & Pirrhing *ad hanc Rubr.* *n.* 72. Si tales literæ non contra Episcopum, à quo clericus sine beneficio & patrimonio est ordinatus, ad obligationis tali ordinatione contractæ impletionem ab eo obtinendam expedirentur: sed iis simpliciter mandaretur, ut clerico tanquam pauperi provideretur, tanquam merè gratiosæ aliorum Gratiæ rescriptorum Jure regularentur.

Eidem distinctioni locus est in patrimonio ad congruam sustentationem sufficiente; quantumvis enim DD. non pauci, ejus in literis supplicationis pro beneficio mentionem faciendam, velint saltem, si impetrans ad ejus titulum ordinatus sit, magis tamen arridet Opinio

aliorum distinguentium inter literas; cum, si hæc sint Gratiæ, patrimonii retentiâ Subreptionis vitium non inducat; quòd hæc merè liberaliter à Papa concedantur. Si verò sint Justitiæ à Papa concessæ *in forma pauperum*, ad excludendam subreptionem patrimonii mentio desideretur; cum enim hujusmodi literarum fundamentum & causa finalis sit paupertas clerici non habentis congruam sustentationem, subsistente patrimonio ad hanc sufficientem, in paupertate fundatam concessionem ex defectu consensus corrumpere, est necesse, *arg. c. Postulasti* *citt.* ubi Panormit. *n.* 3. Azor *citt.* *cap.* 33. *n.* 8. Laiman & Pirrhing *l. cit.*

Quoad qualitatem beneficii, pro quo Papæ supplicatur, ut gratia subreptitia non sit, exprimentum est Primò, quòd id sit curatum, *e. Cum in illis* 16. *pr. de Prabend. in 6.* quia sub communis nomine beneficii in mandatis Apostolicis de providendo tanquam ambitiosis curatum non venit, Glossa *init. in c. cit.* & *ibi* Anchoran. *pr.* Atque istius qualitatis expressio necessaria est, quantumvis animarum cura ex statuto vel Consuetudine exerceri per Vicarium possit, propter *c. cit.* indistinctè loquentis generalitatem: licet gratia Apostolica motu proprio emanarit; quia motus iste non firmat gratiam, quam facere Papa non intendit, *citt.* Selua *q.* 11. *n.* 12. & Menoch. *n.* 64. Casu tamen, quò beneficium curatum accessorie annexum esset Prælaturæ vel dignitati, istius duntaxat, non etiam annexæ ei curæ mentio necessaria foret; quòd cura, quæ venit accessorie, non sit in consideratione, sed attendatur sola natura & qualitas principalis, cui curatum subijcitur, *c. Super eo* 6. *de Prabend. in 6. ubi* Anchoran. *not.* 3. Francus *n.* 3. Laiman *n.* 2. & Pirrhing *ad hanc Rubr.* *n.* 133. *in fine.*

Sequitur



63. Secundo, quod si patronatum, præsertim juris patronatus laicalis, aut electivum, Felinus in c. In nostra cit. n. 29. V. 31. & n. 39. cit. Selua n. 29. & 70. & Menoch. n. 71. & 84. Ratio est; quia electorum & patronorum, saltem laicorum, juri derogare Papa, si non exprimat, non præsumitur, etiam si gratiam motu proprio concedat; cum iste gratiam Apostolicam non firmet in præjudicium ac detrimentum juris tertio quæsiti, Franc. inc. Si motu cit. n. 6. Azor cit. cap. 33. q. 11. & Sanchez Lib. 8. de Matrim. disp. 21. n. 50.

64. Tertio, quod beneficium sit unitum; quantumvis enim in impetrationis literis mentio principalis duntaxat sive ejus, cui alterum unitum & accessorie annexum est, facienda sit, quando pro eo supplicatur; quod accessorie unitum beneficii nomen perdat, & cum principali impetrato veniat, quod accessorie unitum est, arg. l. Cum principalis 178. ff. de R. l. Casu tamen, quo non pro ipso principali, sed pro unito duntaxat Papæ supplicatur, ad excludendum subtractionis vitium beneficii unio est exprimenda: ut super eo gratia Apostolica etiam cum clausula motus proprii, sed sine unionis mentione, concessa irrita sit, cit. Felin n. 23. Vers. 27. Selua n. 75. & Menoch. à n. 91. Ratio est; quia Papa, si non exprimat, verisimiliter præjudicare non intendit juri alteri quæsito per unionem, istiusque jura dissolvere, arg. c. Quamvis 4. & c. Si propter 10. in 6. Quin etiam, si beneficium alteri non accessorie, sed æque principaliter unitum sit, unionis mentione non facta, obtenta gratia Apostolica subreptitia & irrita est, nisi literis inserta sit clausula Cum annexis & pertinentiis, cit. Selua n. 76. & Menoch. n. 133. ex eadem ratione.

Quarto, quod beneficium sit Ec-

clesiæ Cathedralis; licet enim nomine Ecclesiarum civitatis vel diocesis etiam veniat Cathedralis, gratia tamen, quæ Papa alicui provideri mandat de beneficio in aliqua Ecclesiarum civitatis vel diocesis, ad inferiorum duntaxat, non Cathedralis quoque Ecclesiæ canonicatus & beneficia se extendit; quod hanc ob specialem ejus honorem, generali Ecclesiæ nomine in ambitiosis & odiosis, ut hujusmodi mandata sunt, comprehendere nolit, c. Quamvis cit. V. Quamquam. Secus est, si ex rescripto providendum sit alicui de beneficio alicujus provinciæ v. g. Moguntinæ aut Salisburgensis; cum tali mandato Apostolico Cathedralis quoque, imò & Metropolitanæ Ecclesiæ canonicatus comprehendantur, c. cit. V. Secus, ubi ratio ea redditur; quod uberiori hoc casu, quam alio impetranti gratiam facere Papa videatur; cujus Rationem, Si ad l. Non omnium 20. ff. de LL. recursus displiceat, ægrè quis red-det ulteriorem, Joan. Monach. in c. cit. n. 6. ubi Laiman n. 4. & Pirrhing. l. c. n. 248. hac in re Stylum Curie præcipue attendendum monentes, & Selva q. cit. n. 117. à V. Quamquam cit. dispositione n. 21. excipiens beneficia, quæ sunt in circuitu Ecclesiæ Cathedralis, & in hoc etiam existentia beneficia minora, ut Vicariæ & similia sunt.

Si beneficium sit Ecclesiæ Cathedralis inferioris, exprimendum de Stylo Curie est nomen Sancti Ecclesiæ illius, cit. Felin. n. 40. Selua 119. & Menoch. n. 134. nisi Ecclesia sit in loco insigni, in eoque pro matrice & cæteris omnibus majore habeatur; talis enim, perinde ut Cathedralis Ecclesiæ Sancti reticentiâ gratiæ literas non vitari, iidem norant.

Quinto, si beneficium Regulare, pro eoque clericus Secularis: & vicissim, si pro Seculari beneficio Regularis clericus sup-



cus supplicet, ea beneficii qualitas exprimenda: secus gratia, etiam cum clausula *Motus proprius* concessa, irrita est, propter inhabilitatem personæ ejus, pro quo supplicat, beneficii de jure incapacis, c. *Cum de beneficio* §. de *Præbend. in 6.* quam inhabilitatem motus proprius non tollit, nec dispensatione inducit, Glossa in c. *Si motu cit. V. Ob hoc*, ubi Joan. Andr. n. 1. Franc. n. 5. & Sanchez disp. 21. cit. n. 94.

66.

Simili modo si literis Apostolicis tanquam beneficium impetretur hospitale, quod beneficio accessoriè annexum non est, & laicis conferri potest, hospitalitatis qualitatibus mentionem non faciens gratia, etiam concessa *Motu proprio*, subreptitia est, *Clement. Per literas* 2. junctâ Glossâ *V. Provisione de Præbend. cit.* Felin. n. 21. & Selua n. 26. quod clerico facta gratia beneficii ex rescribentis intentione exaudienda sit de beneficio, solito concedi clericis & à laico non administrari.

Sextò, si beneficium sit Monoculare, sive ad Episcopi sive Ordinarii collationem in Ecclesia unicam pertineat, literarum Apostolicarum super eo tali qualitate *motu proprio* concessa irrita sunt ex defectu consensûs Papæ, qui Episcopum collatione, quam in Ecclesia sive solus sive cum aliis unicam habet, privare, si non exprimat, velle non præsumitur, Glossa in *Clement. 1. V. Incerta de Præbend. cit.* Felinus n. 23. & Menoch. à n. 95.

Septimò, si beneficium ex appositione manus Papæ, ad effectum collationis factâ, affectum sit; nam & hujus qualitatibus mentionem ad excludendum subreptionis vitium necessariam, cum *cit.* Menoch. n. 128. volunt *cit.* Azor cap. 32. q. 6. & Palao §. 4. n. 24. quod affectio vim habeat reservationis: cujus, si notoria non sit, mentio ad gratiæ valorem necessaria est, per tradita à *cit.* Felino n. 15. *Coroll. 5. ad finem*,

Octavò, si Ecclesiæ statutum, Juri communi non contrarium, & juratum vel Sedis Apostolicæ autoritate confirmatum obstat beneficii impetrationi, ejus mentio in literis facienda: secus gratia tanquam Subreptitia effectum non consequetur: nisi clausula derogatoria, *Non obstante Ecclesiæ statuto* apposta sit, *cit.* Menoch. n. 136. & Palao n. 28.

Nonò exprimendus in literis est valor beneficii: ut, si in impetratione reticetur vel, notabiliter augendo minuendove, falsus valor exprimat, gratia subreptitia sit: non quidem ex dispositione Juris communis, sed ex Stylo Curie & Cancellariæ Regula de Exprimendo valore: nisi illa emanarit motu proprio; isto enim ex veri valoris reticentia provenientem subreptionem tolli, communis sensus est DD. quorum multi cum *cit.* Menochio n. 33. aliter sentiunt de expressione valoris falsi; quod istius expressione ad concedendam gratiam Papa motus videatur. Verùm, quia valor neque beneficio intrinseca qualitas est, neque causa Papam movens ad gratiam concedendam, sed solummodo facilitiorem vel difficiliorem ejus concessionem inducit, sicut ex veri valoris reticentia, sic ex falsi expressione provenientè ob- vel subreptione *motu proprio* tolli, cum Panormit. inc. *Quia circa 6. de Consang. n. 7.* & Alex. de Nevo *ibidem* n. 8. verisimilius censent *cit.* Sanchez n. 52. & Palao n. 17.

Dubium est de reticentia residentie, quam beneficium exposcit: cujus expressio, an ad valorem gratiæ necessaria sit, dubitandi ratio minimè levis est; quod residentiam de jure omnia beneficia requirant, c. *Conquerente 6. de Cleric. non resid. 8. c. Ad hac 13. de Præbend.* qualitas autem, quæ beneficio, ipso jure inest, in rescripto & impetrationis literis exprimenda necessariò non sit; quod Pa-  
pa, qui



pa, qui omnia jura in scrinio pectoris sui habere censetur, *c. 1. de Constitut in 6.* cognita jam sit. Sed esto, de jure hoc ita sit. generali tamen Ecclesiarum consuetudine ei derogatum est, & beneficia simplicia personaliter residendi obligationem annexam non habent; ut beneficium, si cura & residentia ei annexa literis non exprimitur, neque esse curatum, neque residentiam exposcere intelligatur. Quare, sicut cura, sic & residentia ei annexa, tanquam qualitatis beneficio intrinseca, mentio in literis facienda: secus gratia etiam cum clausula *motus proprii* concessa irrita est; cum quoties qualitas beneficio intrinseca, quae de jure vel Consuetudine omnibus beneficiis necessario non inest, reticetur, gratia etiam *motu proprio* concessa non subsistat, ut cum Panormit. *in c. Ad aures cit. n. 3.* & aliis docent *citt. Sanchez n. 51.* & Palao *n. 14.*

69. Quoad modum vacationis exprimendum in literis imprimis est, an per obitum, resignationem, affectuionem beneficii incompatibilis, contractum matrimonii, professionem Religiosam &c. beneficii vacatio sit inducta; ut vigore mandati Apostolici de conferendo alicui beneficio vacante per obitum conferri nequeat vacans per resignationem: & si beneficium vacet per contractum matrimonii vel à sede Apostolica approbatae Religionis professionem, gratia de illo conferendo irrita sit, si ea narretur, id vacasse per incompatibilis beneficii affectuionem, *c. Susceptum 6. in 6.* Ratio est; quia obitus, cessio seu resignatio, incompatibilis affectuio &c. sunt vacationis modi seu species diversa; ut, quod de uno modo seu specie asseritur, perperam ad alterum trahatur; cum illatio non rectè fiat à diversis, *l. Inter stipulantem 87. §. 5. ibi Sed hac dissimilia sunt, ff. de V.O.l. Naturaliter 12. §. 1. ff. de Acquir.*

*possess. &c.* Atque hoc etiam procedit, si gratia emanarit *motu proprio*; cum, quia iste, licet subreptionis tollat vitium, gratiam tamen non ampliet, ut porrigatur ultra id, quod verbis est expressum, *Glossa in Clement. Per literas cit. V. Directas*: tum verò; quia nulla gratia vel dispositio extenditur ultra concedentis mentem seu intentionem, quae verbis secundum communem acceptionem intellectus declaratur, *l. Labeo 7. §. 2. V. Idem Tubero ff. de Suppell. Leg. & l. Non figura 38. ff. de O. & A.* Nisi tamen de intentione mandantis aliud appareat expressè, ut dicitur *c. Susceptum cit.* quia, cum haec explorata est, verborum ratio non habetur, *l. Non aliter 67. ff. de Legat. 3.* Unde etiam, si Apostolicis literis expressò vacationis modò v.g. per obitum adjiciatur clausula, *Seu quovis alio modo vacaverit*, literae effectum consequuntur, quantumvis beneficium vacasset per cessionem, matrimonii contractum, vel professionem, *Glossa in c. cit. V. Expressè, citt. Felinus n. 83. fall. 4. & Menoch. n. 107.*

70. Deinde etiam persona, per cujus obitum beneficium vacat, exprimenda est, quando ratione ipsius inducitur beneficii reservatio, sicut contingit, si persona sit familiaris Papae vel Cardinalis; quòd Papa de beneficio provisorius non credatur, nisi cognita reservatione. *citt. Felinus n. 20. Selua n. 20. & Menoch. n. 110.* Extra hunc casum, etiam cum pro canonicatus vel praebendae impetratione Papae supplicatur, persona exprimi de Curiae stylo solet: eaque non expressà gratiam subreptitiâ fore, vult Menoch *n. 135.* Verisimilius tamè, errore in decedentis nomine commissio illam vitari, negat *citt. Palao n. 23.* quòd ejusmodi nominis expressio neque ad gratiae substantiâ neque ad faciliore impetratione pertinere videatur.

U 3

Demum



Demum, nullò vacationis modò expressò, omnem vacandi modum intelligi & gratiam subsistere, idem censet cum Menochio *n. 100.* præterquam, si impetretur rescriptum gratiæ *Si neutri*, vel pro confirmatione obtinenda præsentetur decretum electionis; his enim casibus modum necessariò exprimendum uterque docet.

71. Quoad jus alteri competens, ad excludendam subreptionem, exprimendum in literis est jus alteri competens ex collatione ipsi absenti & ignoranti facta, ex nominatione, electionis acceptatione, vel præsentatione, *citr. Felinus n. 5. & Menochius n. 138. & 149.* quòd Papa jus alteri competens tollere eive derogare velle non credatur, nisi exprimat, adjectâ clausulâ, *Non obstante collatione, electione, præsentatione alteri facta:* quam etiam clausulam in dubio de ea, quæ jure invalida est, accipiendam monet *citr. Palao n. 23.* Hinc certè rescripta, quæ à Papa aliòve Principe emanant, tacitè semper continent clausulam, *Salvo jure alterius*, itaque exaudienda sunt, ut jus tertii salvum & illasum conservent, *c. Super eo 14. junctâ Glossa V. Intentionis de Offic. deleg. & l. Prætor ait 2. §. 16. ff. Nequid in loco publ. Gaill. Lib. 2. observat. 58. n. 4.*

Præterea exprimenda est possessio 72. colorata, in qua, à legitimo collatore accepta & non notoriè irrita, alius est, *c. Cum nostris 6. de Concess. præb.* Imò & sola beneficii detentio per aliquod tempus retenta: secus rescriptum subreptitium & irritum est, *citr. Felin. n. 32. & 33. Selua n. 33. & 35. & Menoch. n. 139. & 147.* Nisi intertam habeat clausulam *Vocatis vocandis* vel *Amoto quolibet illicito detentore*; quia rescriptò tali clausula munitò coloratam possessionem & detentionem, si quæ est, examinandam supponitur; cum executioni

mandari nequeat: nisi possessor vel detentor citetur, & de ipsius jure cognoscatur, *citr. Menoch. n. 141. & Palao n. 30.*

Denique mentio facienda est rescripti primi, super beneficio ab alio impetrati: sicut & litis seu processus super illo pendentis, & secutæ ad beneficium receptionis *citr. Felin. in c. Caterum 3. an. 3. & Menoch. n. 148.*

Illud tamen cum Felino *in c. Inno. 7. fra cit. n. 25. Coroll. 25. citr. Selua q. 12. n. 56. & Menoch. n. 153.* notandum est, hætenus de beneficii Ob- & Subreptitiè impetratis traditorum pleraque locum tantum habere in rescriptis seu literis beneficialibus à Papa ejusve Legato impetratis. Cum verò à locorum Ordinariis impetrantur, hoc ipsò; quòd istis notæ esse præsumantur qualitates beneficiorum & clericorum ea petentium, non ita necessarium esse, qualitates relatas omnes explicari.

### ARTICULUS. V. De Ob- & Subreptione Rescriptorum, commissa dolò & errore impetrantis, SUMMARIUM.

75. Ob- & Subreptio diversimodè committitur.  
76. Distinctio notabilis inter eam dolò.  
77. Et errore commissam.  
78. Quæ exemplò declaratur:  
79. Et locum etiam habet in rescriptis Gratia,  
80. Quando ea impetrantur veritatis reticentiâ dolosâ:  
81. Imò & non dolosâ, si veritate cognita Papa non rescripisset:  
82. Si nihilominus rescripisset, veritatis reticentiâ non dolosâ Gratia literas vitari, aliqui negant.  
83. Veri-



83. *Verisimilius alii affirmant.*  
 84. *Vitium unius partis afficit reliquas:*  
 85. *Nisi sint separate.*  
 86. *Falsitate causa unius ex duabus dis-*  
*junctio.*  
 87. *Et collectivè allegatis rescriptum*  
*non vitatur.*  
 88. *Motus proprius non tollit obreptionem:*  
 89. *Sed subreptionem:*  
 90. *Nisi præjudicium tertii vel inhabi-*  
*litas reticeatur.*

75. **L**iteræ Apostolicæ narratione falsitatis aut veritatis, de jure vel Consuetudine seu Stylo Curia exprimentæ, reticentiæ ob-vel subreptitiæ non eodem semper modo evadunt; aliquando enim id dolò impetrantis, aliquando & frequenter ejusdem simplicitate & ignorantia contingit. Unde Dubium nascitur, an rescripta ex ob-vel subreptione vitiosa sint, quomodocunque expressa falsitas aut veritas sit suppressa. Cujus resolutio desumenda est ex famoso Rescripto Innocentii III. *e. Super literis 20.* distinguentis, an id acciderit *per fraudem vel malitiam*, quo casu rescripta vitia ait, disertis verbis, *In sua perverſitatis pœnam nullum ex illis commodum consequatur*, juxta antè rescriptum *e. Sedes 15.* relatum: quò ab eodem talis, tanquam *mendax preceptor*, penitus carere jubetur impetratis, ex justa & solenni ratione; quòd vi rescripti fraus & dolus ei non debeat patrocinari.
77. An verò acciderit *per ignorantiam aut simplicitatem*: quo casu subdividit; vel enim suppressa veritas aut expressa falsitas est talis, ut eà cognitâ Papa quidem rescriptum concessurus, at non in expressa, sed communi solum forma fuisset? & tum, licet non secundum expressam, tamen secundum formam ordina-

riam sive jus commûne procedi à delegato potest: vel eà cognitâ Papa rescripturus non fuisset? & tum rescriptum omnino vitatur, ut delegatus, cui literæ inscriptæ sunt, sub vel obreptione cognitâ, vi earum ulterius procedere non possit, ut in *e. cit.* communiter tradunt DD.

Hanc distinctionem, à DD. quidem receptam, sed admodum intricatam Parnormit. in *e. Super literis cit. n. 2.* clariorem reddit exemplò Titii, contra debitorem suum à Papa literas impetrantis, falso allegatâ patriæ suæ Consuetudine, vi cujus in ejusmodi litibus summarie & de plano, judiciario Ordine non accurate observato, procedatur. Quo casu delegatus judex, si Consuetudinem scieat & malitiosè allegatam esse intelligat, juxta priorem distinctionis partem in causâ cognitione procedere non debet; *Ut mendax preceptor penitus careat impetratis.* Si verò, eam per ignorantiam & simplicitatem allegatam cognoscat, secundum posteriorem distinctionis partem de causa quidem, sed servato ordine judiciario, non summarie & de plano, cognoscere potest: Nisi Papa causam verè propositam delegaturus omnino non fuisset; hoc enim casu delegatus ab ejus cognitione omnino abstinere debet, propter defectum consensûs Papæ, causam non omnino absolute, sed sub tacita conditione *Si preces veritate nitantur*, committentis. Unde

Dubium secundò oritur, an *e. Super literis cit.* proditâ distinctioni etiam in Beneficialibus & cæteris Gratia rescriptis sit locus. Quod, licet primo intuitu negandum videatur; quòd ejus dispositio pœnalis; ac proinde à literis Justitiæ ad Gratia rescripta non sit trahenda arg. *Reg. Odis 15. in 6.* Illam tamen etiam his applicandam, communiter volunt Interpp. & cæteri DD. eà præcipue permoo-



permoti ratione; quod rescripta Gratia, praesertim ea, quae super beneficiis obtinendis impetrantur, cum sint ambigua, c. *Quamvis* §. *de Prabend. in 6.* uti etiam, quibus conceduntur dispensationes & privilegia, cum ferè Juris sint relaxationes, magis odiosa sint, quam ea, quae lites concernunt: & ab obvel subreptione magis illa, quam ista inficiantur; cum, ut n. 37. & 38. dictum est, Gratia irrita ipso Jure: Justitia verò rescripta irritanda sint ope exceptionis. Accedit; quod distinctio illa fundetur in Principis rescribentis intentione; ac proinde ferè observanda esset, etiamsi c. *Super literis cit.* expressa non fuisset. Ita in c. *cit.* Panormit. n. 2. Felinus n. 1. Berolius n. 13. Laiman n. 4. & Fagnanus n. 13. & 22. Quibus ceteri DD. passim suffragantur.

80. Verùm dubitationis ita resoluta ratio de gratia rescripto, per obvel subreptionem dolosam impetrato; non etiam de eo, quod per obvel subreptionem ex simplicitate vel ignorantia proveniente impetratum est, procedit; quia, ut dictum, obvel subreptionis vitio magis gratia quam Justitiae rescripta afficiuntur. Unde

81. Dubium tertio & subtilis controversa est, an, sicut Justitiae, sic etiam Gratia rescripta non vitentur, quando ex impetrantis simplicitate vel ignorantia proveniente narratione falsitatis aut veritatis reticentia sunt impetrata. Non quidem, si Papa cognita veritate gratiae literas concessurus non fuisset; hoc enim casu gratiam propter defectum voluntatis in concedente non subsistere, omnes facile concedunt. Sed casu, quò Papa veritate cognita gratiam concessurus nihilominus fuisset; hoc enim casu ejusmodi non dolosa expressio falsi verive reticentia gratiae literas non vitari & af-

82. fici, cum Panormit. in c. *Super literis cit.* n. 5. Felino *ibidem* n. 2. Cassaduro *decis.* 12. *de Prab. & dignit.* n. 15. & aliis tu- stinent Engel *ad hanc Rubr.* n. 12. & Fagnanus in c. *cit.* à n. 54. in eam rem allegans plures decisiones Rotae, praesertim in una Senensi pro valido habentis rescriptum ad Thesaurariam five Sacristiam, impetratum sub nomine Dignitatis; licet illam Officium duntaxat, non Dignitatem esse, postea fuerit compertum, Cuius suae Opinioni benignitatem *cit.* Interpp. ac DD. suadent Jure & Ratione: & ex illo allegant c. *Gratia* 7 *hic in 6.* & c. *Si pro clericis* 8. *de Prabend. in 6.* ex quorum textuum prioris decisione gratiae literas non inficit ac vitiat reticentia beneficii, quod impetranti, absenti & ignoranti, ab Episcopo fuit collatum; quòd Papa, si collationem ita factam scivisset, nihilominus, licet alio modo, fuisset rescripturus; posteriori verò reticentia defectus Ordinum literas beneficiales non vitiat, si, qui eas impetravit, Ordines in beneficiato requisitos intra tempora jure statuta suscipere possit. Rationem reddunt; quia expressio falsitatis & veritatis reticentia non dolosa, five commissa per simplicitatem & ignorantiam, id solum vitiat, quod causat, c. *Super literis cit.* quò ita facta veritatis reticentia eò solum casu literas vitare asseritur, quòd Papa cognita veritate rescripturus non fuisset. Cui Regulae in Gratia quoque literis locum esse, desumitur ex c. *Dudum* 14. *de Prabend. in 6.* cuius §. *Considerantes quosq.* Bonifacius VIII. rescriptum beneficiale per veritatis reticentiam, ex ignorantia proveniente impetratum, pro valido habens rationem eam reddit; *Quòd expositò Nobis de praedicta potestate Episcopi gratiosas literas nihilominus daremus.* Cum ergo expositio falsitatis & veritatis reticentia eo casu,

fici, cum Panormit. in c. *Super literis cit.* n. 5. Felino *ibidem* n. 2. Cassaduro *decis.* 12. *de Prab. & dignit.* n. 15. & aliis tu- stinent Engel *ad hanc Rubr.* n. 12. & Fagnanus in c. *cit.* à n. 54. in eam rem allegans plures decisiones Rotae, praesertim in una Senensi pro valido habentis rescriptum ad Thesaurariam five Sacristiam, impetratum sub nomine Dignitatis; licet illam Officium duntaxat, non Dignitatem esse, postea fuerit compertum, Cuius suae Opinioni benignitatem *cit.* Interpp. ac DD. suadent Jure & Ratione: & ex illo allegant c. *Gratia* 7 *hic in 6.* & c. *Si pro clericis* 8. *de Prabend. in 6.* ex quorum textuum prioris decisione gratiae literas non inficit ac vitiat reticentia beneficii, quod impetranti, absenti & ignoranti, ab Episcopo fuit collatum; quòd Papa, si collationem ita factam scivisset, nihilominus, licet alio modo, fuisset rescripturus; posteriori verò reticentia defectus Ordinum literas beneficiales non vitiat, si, qui eas impetravit, Ordines in beneficiato requisitos intra tempora jure statuta suscipere possit. Rationem reddunt; quia expressio falsitatis & veritatis reticentia non dolosa, five commissa per simplicitatem & ignorantiam, id solum vitiat, quod causat, c. *Super literis cit.* quò ita facta veritatis reticentia eò solum casu literas vitare asseritur, quòd Papa cognita veritate rescripturus non fuisset. Cui Regulae in Gratia quoque literis locum esse, desumitur ex c. *Dudum* 14. *de Prabend. in 6.* cuius §. *Considerantes quosq.* Bonifacius VIII. rescriptum beneficiale per veritatis reticentiam, ex ignorantia proveniente impetratum, pro valido habens rationem eam reddit; *Quòd expositò Nobis de praedicta potestate Episcopi gratiosas literas nihilominus daremus.* Cum ergo expositio falsitatis & veritatis reticentia eo casu,



casu, quò Papa cognita veritate gratiæ rescriptum concessurus nihilominus fuisset, gratiæ rescripti causa non fit, eo casu nondolosa expressio falsi & veri reticentia Apostolicum rescriptum non vitiat.

Dissentiunt tamen, & rescripta gratiæ cuiusvis falsitatis, rationem causæ finalis habentis, narratione & veritatis, de jure communi vel Stylo Curia si subsistat exprimendæ, reticentiâ affici ac vitari, cum Glossa *in c. Si motu cit. V. Taceatur Archidiacono in c. cit. n. 2. Decio in c. Super literis cit. n. 18. & aliis docent Menoch. de Arbitr. casu 201. n. 27. Gutierrez Q. Q. Canon. Lib. 2. cap. 15. n. 38. & 51. Sanchez Lib. 8. de Matrim. disp. 21. n. 14. aliis DD. cit. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 241. in fine. Moventur etiam ipsi Jure & Ratione: & ex illo præcipue allegant *c. Si motu cit. & c. Susceptum 6. hic in 6. quorum locorum illò beneficii, quantumcunq; modici ante obtenti, reticentiâ gratiæ rescriptum non motu proprio, sed ad instantiam concessum vitari, asseritur indiscriminatim: istò sive c. Susceptum cit. rescriptum ad beneficium, quod vacare dicebatur per resignationem, impetranti non prodest, si beneficium vacarit per obitum beneficiati, ante resignationem perfectam decedentis. Rationem reddunt; quòd tali casu desideretur aliquid de communi Jure vel Consuetudine seu stylo Curia pertinens ad rescripti formam juxta dicta n. 69. quæ cum esse rei det, eâ deficiente actus Jure non subsistit, c. Cum dilecti 22. junctâ Glossâ V. Irritum & l. Julianus 9. §. 3. ff. Ad exhibend.**

§3. Ex duabus his Opinionibus priori ac benigniori, spectato Jure, præferendam existimo posteriorem: cui non obscure deferunt assertores prioris, dum istam restringunt ad reticentiam qualitatum & circumstantiarum, quas neque

ex communis Juris dispositione, neque ex Stylo Curia exprimi est necesse: & de Jure vel stylo illo exprimendorum reticentiâ nondolosâ, sive per simplicitatem & ignorantiam factâ, gratiæ rescripta vitari concedunt; quantumvis Papa rescripturus nihilominus fuisset cognitâ veritate, ut volunt, & *c. Si motu cit. dispositionem sibi objectam accipiunt cit. Felin. n. 2. limit. 1. Fagnanus n. 58. & Engel n. 12. cit.*

Neque gratiæ rescripta, qualitatum & circumstantiarum de Jure vel Stylo illo exprimendarum, reticentiâ nondolosâ impetrata generatim, quoties Papa veritate cognita rescripturus nihilominus fuisset, subsistere evincit textus *c. Si gratia cit.* quia in istius casu per ignorantiam inculpata suppressa non fuit qualitas aut circumstantia, ex communis Juris dispositione vel curia stylo necessariò exprimendâ; cum ex collatione ab Episcopo facta absenti & ignorantibus huic nihil penitus juris absoluti in beneficio acquisitum sit: sed juris in isto per acceptationem acquirendi solummodo habuerit facultatem, *c. Si tibi absenti 17. de Prabend. in 6. cujusmodi facultatis mentionem in gratiæ rescriptis fieri neque commune Jus neque stylus Curia requirit, Berojus in c. Super literis cit. lect. 1. n. 42. cit. Sanchez n. 60. in fine, Laiman in c. Gratiæ cit. n. 1. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 71.*

Simili modò in casu *c. Si pro clericis cit.* defectum Ordinis, in beneficiato requisiti, in gratiæ rescriptis exprimi, de Jure vel Curia stylo necesse non est; cum in clerico de beneficio providendo solummodo exigatur, ut Ordinem suscipiat intra annum, *c. Licet 14. junctâ Glossâ V. Annum de Elect. in 6. & Clement. 2. de Etar. & qualif. in 6. & Clement. 2. de Etar. & qualif.* Alia ratio est clericatus & ætatis; cum enim ille & ista communi Jure exigantur, *c. Ex literis 6. de Transact.*



*Transact. &c. Si eo tempore p. hic in 6. eorum defectum exprimi, necesse est, ut rescriptum gratiæ subreptionis vitio non laboret, Glossa in c. Si pro clericis cit. V. De defectu Ordinum, ubi Anchoran. not. 3. & Pirrhing ad Rubr. de Præbend. n. 104. not. 3.*

Non magis quam textus urget Ratio; quia veritatis, ex communis Juris dispositione vel Curia stylo necessariò exprimendæ reticentia, sive per fraudem & malitiam sive per simplicitatem aut ignorantiam fiat, causat defectum formæ, ejusmodi veritatem exprimi expolcentis, juxta dicta n. 47. formæ autem defectus rescripti & cujusvis actûs, cujus forma est, nullitatem inducit, c. *Cum dilecta* & l. *Julianus* §. 3. cit.

Ipsa etiam Rotæ pro rescripti valore allegatæ decisio non adversatur; quia in istius casu falsa expressio Dignitatis non fuit causa inductiva gratiæ; cum Papa conferre intenderit Theaurariam: & hanc, si Officium nominata fuisset, æquè & faciliùs concessisset; & dignitatis nomen expressum non fuerit causâ taxationis seu determinationis gratiæ, ut vacatio per resignationem, c. *Susceptum* cit. & qualitas præbendæ c. *Si cui de non Sacerdotali* 27. de Præbend. in 6. Sed causâ solius demonstrationis Theaurariæ, quam Papa conferre intendit: falsa autem demonstratio, quando de re constat, non vitiat ejus concessionem, l. *Demonstratio* 17. pr. §. 1. l. *Si falsa* 33. pr. ff. de Condit. & demonstr. §. 5. *Si quidem* 29. Instit. de Legat. ut dictum n. 44. Panormit. in c. *Super literis* cit. n. 6. & Laiman, in c. *Significante* 34. n. 3. §. *Ex dictis*.

84. Dubium quartò est, an rescriptum propter ob. vel subreptionem, commissam in una parte, vitietur quoad omnes? in quo, si partes inter se sint connexæ, & ad unum finem tendant, v.g. si illegitimus impetret rescriptum ad Ordines & bene-

ficiam curatum, una parte propter malitiosam expressionem falsi aut suppressionem veri vitiatâ, etiam alteram corruiere, convenit inter plerosque, propter *cc. cit.* Gonzalez in c. *Super literis* cit. n. 6.

Quoad omnes etiam non connexas partes rescriptum vitari: & propter obreptionem, commissam circa votum, rescriptum etiam quoad beneficium iidem literis impetratum vitari, existimat Panormit. cit. n. 2. Sed verius id quoad hoc valere, cum Decio in c. cit. n. 7. & docet Sanchez cit. disp. 21. n. 71. & restè desumit ex c. *Si eo tempore* 9. in 6. ubi literæ impetratæ ad beneficium cum cura vel sine cura, tacito defectu atatis ad curatum insufficientis, etsi propterea invalidæ sint quoad curatum, valere tamen asseruntur quoad beneficium simplex si preceptor sive impetrans ad hoc atatem habuit sufficientem.

Neque dicas istius c. decisionem intelligendam de subreptione, commissâ per ignorantiam; quia ejus textus generalis est, & inter subreptionem, dolo vel simplicitate admissam, non distinguit. Ratio est partim; quia literæ, continentes duas partes omnino diversas, sunt virtualiter duo rescripta, ut locus sit Regulæ, *Utile per inutile non vitatur*, quæ est 37. in 6. partim verò; quia irritatio rescripti quoad partem, circa quam falsitas commissâ non est, habet rationem pœnæ, ut patet ex verbis, *in perversitate pœnam*; ac proinde strictè interpretanda & ad partes non connexas, atque ad diversum finem tendentes non est extendenda, arg. *Reg. Odiâ* cit.

Dubium est quintò, an rescriptum omnino vitietur, si ex duabus causis allegatis una vera, altera falsa & dolò sit expressa. Non quidem, si causæ allegatæ sint disjunctivæ; quia hoc casu sufficit alteram esse veram, ut colligitur ex c. *In* ter ca.



- ter ceteras 4. hic & Reg. In alternativa  
87. 70. in 6. Sed quando allegantur copula-  
tivè; hoc enim casu dubitandi ratio ob-  
via est; quia propositio & narratio col-  
lectiva vera non est, nisi ut affirmantur,  
se habeant omnes ejus partes. *l. Si quis ita*  
*129. ff. de V. O. & s. Si plures 6. Instit. de*  
*Hered. instit.* Nihilominus probabili-  
us est, rescriptum non viciari, quando  
vera est causa, quâ nititur rescriptum,  
alterius falsitate non obstante. Niti au-  
tem causâ aliquâ, si aliud non exprima-  
tur, Rescriptum censetur, quando ea  
de Jure vel Consuetudine seu Curia Stylo  
habetur pro sufficiente ad gratiam rescri-  
pto concedendam. Rationem reddit  
Mascardus de Probat. conclus. 325. n. 3.  
quod ex una, cum copulativè narrantur  
plura, quæ de Jure necessaria non sunt,  
propositio copulativa resolvatur in dis-  
junctivam, arg. *L. Sape 53. ff. de V. S. ex*  
*altera verò parte, cum disjunctivè nar-*  
*rantur duæ causæ, sufficiat alteram esse*  
*veram, ut rescriptum subreptitium non*  
*sit, ut cum Glossa in c. Ex parte 2. V.*  
*Et perpetud & Felino in c. cit. n. 3. docent*  
*Gutierrez & Canon. Lib. 2. cap. 15.*  
*n. 62. & cit. Sanchez n. 44. Unde cor-*  
*rigit ratio dubitandi: & clausula, Si pre-*  
*ces veritate nitantur, de causa finali &*  
*ad rescribendum inducente, intelligenda*  
*est, ut idem monet.*
88. Dubium sextò est, an sub-vel ob-  
reptionis vitium tollat clausula, *Motu*  
*proprio.* In quo Glossa in *c. Si motu 23.*  
*V. Modicum de Prabend. in 6.* rectè di-  
stinguit inter tacentem & mentientem;  
quia motus proprius, licet non tollat vi-  
tium Obreptionis, commissum per nar-  
rationem falsi, vg. si beneficium, quod  
curatum est, vocetur simplex, aut fal-  
sus ejus valor exprimat, ut cum Fe-  
lino in *c. Ad aures 8. n. 9. Decio ibid.*  
*n. 32. Sylvestro V. Rescriptum q. 6. &*

aliis docent Menoch *cit. casu 201. n. 83.*  
& *cit. Sanchez n. 52.* tollit tamen sub-  
reptionem, commissam per reticentiam  
alicujus veritatis, de Jure vel Consuetudi-  
ne exprimendæ: ut aliter, si gratia merè  
ad instantiam partis concessa fuisset, non  
valeret, vg. si dignitatem vel beneficium  
curatum impetrans reticeat beneficium  
tenue, quod habet, ut ex *c. Si motu 23.*  
*cit. & Clement. Si Romanus 4. de Pra-*  
*bend. delumunt DD. cit.* Ratio dispa-  
ritatis est; quia priori casu præsumitur  
gratia concessa contra intentionem Papæ:  
non etiam posteriori; cum Papa ad gra-  
tiam motu proprio concedendâ inductus  
esse censetur à causa expressa, eique  
consensum suum alligasse: non etiam à  
veritate suppressa, quâ expressâ, an  
gratia concedenda vel neganda fuisset,  
non constat, *cit. Sanchez n. 52.* quocum  
tamen

Excipiendi sunt tres casus: & pri-  
mò quidem is, quò veritas, per reticen-  
tiam dissimulata, respicit Jus tertii, cui  
rescripto præjudicatur, vg. si reticeatur,  
quod beneficium sit electivum, patro-  
natum, unitum; quia motus proprius  
jus quæsitum in re atque etiam ad rem  
non tollit, *cit. Panormit. n. 5. & Fe-*  
*linus n. 80.* Secundò, quò tacendò  
suppressa est inhabilitas concernens per-  
sonam, vg. irregularitas: in qua, rescrip-  
to Beneficiali suppressa, non dispensatur,  
etiamsi motu proprio emanarit. Ita cum  
Glossa in *Clement. cit. V. validam, An-*  
*chorano ibid n. 2. & aliis Interpp. do-*  
*cent cit. Menoch. n. 81. & 82. & San-*  
*chez n. 49.* Tertio, si qualitas benefi-  
cio intrinseca reticeatur, *cit. Panor-*  
*mit. n. 3. & Menoch. n. 80.*





## ARTICULUS VI.

## De aliis vitiis Rescriptorum.

## SUMMARIUM.

91. Non valent rescripta contra Jus :
92. Contra Consuetudinem,
93. Vel jus tertii impetrata, sine expressa derogatione :
94. Neque etiam, quibus omnia, tam presentia quam futura, negotia committuntur,
95. Nisi concernant monasterii &c. de- fensionem :
96. Neque etiam, quibus iudex incertus,
97. Nisi ex certa scientia, delegatur :
98. Neque, quibus conceditur aliquid irrationabile,
99. Aut erratur in Latinitate,
100. Curia stylo recepta,
101. Etiam quoad partes non connexas :
102. Neque etiam, quibus consueta appellandi forma,
103. Aut debita solemnitas non observatur.

91. **R**escripta, tanquam ob-vel subreptitia aut aliter vitiosa, etiã rejiciuntur Primò, si emanarunt contra Jus commune, non factã istius mentione seu derogatione, *can. Rescripta 25. q. 2. l. Rescripta 7. C. de Precib. Imp. offerend. & l. fin. C. si contra Jus &c.* sive illud Ecclesiasticum *c. Ex parte 3. de Capell. Monach.* sive Imperiale, *can. Imperiali q. 2. cit.* aut etiam Municipale sit, *Rebuff. Prax. Benef. Tit. de Rescript. n. 70.* Ratio est; quia censentur aliena à Principis intentione; quòd vel per fraudem ipsò incisco concessa: vel

vel ipse, propter supplicantium importunitatem aut suarum occupationum multitudinem, Juris non fuerit memor, *c. Ex parte cit.* neque enim verisimile est, Principem Jus, tot vigiliis excogitatum & inventum, unò rescriptò subvertere voluisse, *c. Ecclesia 57. de Electione & l. Si quando 35. pr. C. Inoffic. test.*

Secundò, eadem ratio est rescriptorum, quæ emanarunt contra Consuetudinem legitime præscriptam & Stylum Curia, arg. *c. Quàm gravi 6. de Crim. Falsi*; nam etiam hæc, si speciali clausula munita non sint, à Papa non emanasse præsumuntur, *c. Porrethi 6. de Confirmat. util.* Unde, si ab isto delegaretur iudex, ut procedat absque causæ cognitione, *c. Ex parte 2. vel in præjudicium adversarii lite pendente, vel contra transactionem aut sententiam, quæ transit in rem judicatam &c.* aliquid fieri mandaret, ejus executio differenda esset, donec Papa secundò, vel melius informatus aliud rescriberet, *l. fin. C. de Precib. Imp. off. & Novell. 134. cap. 6. Haunold. Titul. Proam. n. 348.* Imò Panormit in *c. Ex parte cit. n. 4.* & ibi Imolan. 3. hujusmodi à Jure & communi stylo alienum rescriptum impetrantem, tanquam de fallitate & fraude suspectum ad Papam cum ipso rescriptò remittendum, censent, Unde etiam

Tertiò, vitiosum est rescriptum, quò tollitur aut læditur Jus alicui tertio quæsitum: nisi huic expressa mentione derogetur; quia Princeps, licet ex justa & utilitatem publicam concernente causa possit, tamen si de ejus voluntate certò non constat, alterius juri præjudicare voluisse nunquam præsumitur, *c. Super eo 15. junctâ Glossâ V. Intentionis de Offic. deleg. & l. Prator ait 2. §. 16. ff. Nequid in loco publico*; ideòque in omni rescripto, privilegio; concessione & dispositione



tione Principis subintelligitur, *Salvo jure alterius*, vel *Sine alterius præjudicio*: quantumcunque ea generalibus verbis, imò motu proprio & ex certa scientia fit facta: nisi contineat clausulam de plenitudine potestatis, vel motus proprius aliàs effectum non haberet, aut aliunde indubitatè appareat, eum alieno juri derogare voluisse, Panormit. in *c. Super eo cit. n. 2.* Baldus in *l. 1. ff. de Rev. divif.* Everardus *Arg. Legal. loco à Plenitudine potest. n. 12.* Gaill. *Lib. 2. observat. 58. n. 5.* Barbosa in *c. Cum Ordinem 6. n. 3.* & Laiman in *c. Super eo cit. n. 1.*

94. Quartò, vitiosum est rescriptum Justitiæ, quò omnia negotia, tam præsentia quam futura, uni vel etiam pluribus certis judicibus committerentur, *c. Ad hac 10.* quia id repugnaret communi stylo & praxi Curia: & nimium derogaret potestati judicis Ordinarii: cui Papa ita enormiter præjudicare non intendit, *arg. can. Pervenit 11. q. 1. Glossa in c. cit. V. Omnia & ibi Panormit. n. 3.*
95. *Justitia*, inquam; quia per rescriptum Gratiæ, ad defendendum v.g. religiosum Ordinem vel monasterium à manifestis injuriis & violentis impetitionibus adversariorum, dari ita solent judices, qui Conservatores nuncupantur, *c. 1. & c. fin. de Offic. deleg. in 6.* ut cum Panormit in *c. Ad hac cit. n. 5.* notat Laiman *n. 1.*

96. Quintò, Rescriptum Justitiæ, quò non certus, sed incertus & ad arbitrium impetrantis eligendus, judex delegaretur, *c. Ad hac cit.* quia eligere impetrans posset eum, qui sibi faveret & adversæ parti meritò esset suspectus. Ex certa tamen scientiâ ita delegari à Papa posset judex, concessâ adversæ parti facultate recusandi; quia ex certa scientia ab eo Juri communi aut Stylo Curia: derogari posse, in *c. cit.* cum Glossa *V. Elegerint*

notant Panormit. *n. 8.* & Laiman *n. 4.*

Sextò, Rescripta, quibus aliquid alienum à recta ratione, aut omnino insolitum, vel nimis durum, aut contra publicam utilitatem comittitur aut mandatur, *c. Si quando 5. hic c. Cum teneamur 6. de Prabend. & Novell. cit. cap. 6.* Quare etiam hoc casu, cum de rescripti voluntate meritò dubitetur, iteratam ejus justificationem potiùs expectandam, quam ad rescripti executionem procedendum, rectè monent *cit. Gaill. observat. 58. n. 7.* & Laiman in *c. Si quando cit. n. 2.*

Septimò, quodcunque sive Justitiæ sive Gratiæ rescriptum, continens manifestum in constructione peccatum, sive errorem in Latinitate, *c. Ad audientiam 11. Manifestum*, inquam, & *In constructione*: cujusmodi non est error contra Orthographiam; neque censetur unius literæ vel syllabæ, quæ sensum non mutat: aut solius elegantia: sermonis defectus: neque etiam error in constructione excusabilis per figuram: de cujusmodi erroribus loquens S. Augustinus, *Indignum*, inquit, *est, ut verba caelestis oculi restringantur sub regulis Donati, can. 13. dist. 38.* Sed esse debet solæcismus indubitatus, sive error contra Latinitatem, non Tullianam au Luvianam, sed Stylo Curia: vel Camera: Apostolica: receptam, ut in *c. Ad audientiam cit.* cum Tholosano advertit Laiman *n. 2.* Ubi rationem reddit; quòd rescriptum non tam propter vitiosam Latinitatem, quam propter suspicionem falsitatis & præsumptionem fraudis, ex tali errore ortam, rejiciatur.

Neque obstat; quòd propter errorem in Latinitate non vitentur Testamenta & Instrumenta contractuum, *l. Imperator 8. C. de Statu hom. §. 1. Error 7. C. de Testament.*; quia in his, cum ordinariè



dinarie committantur uni tabellioni, facile aliquid incorrectum relinquitur: non etiam in rescriptis Apostolicis: in quibus, quia magna cum maturitate consilii decoquuntur & concipiuntur, *can. Apostolica 35. q. 9.* & per multorum Officialium manus transeunt ac releguntur, verisimile non est, ejusmodi errorem relinqui incorrectum, Glossa in *c. Ad audientiam cit. V. Manifestum* & Felin. in *c. Ex parte 11. de Fide Instrument. n. 2.* Quæ ratio, cum, sicut de Apostolicis, sic etiam de Imperatoris ac Regum rescriptis, ab iisque indultis privilegiis procedat, errore in Latinitate vel constructione, Cancelliarum stylò recepta, etiam ista vitiantur: quantumvis id Jure Civili expressè sancitum non reperiatur, ut cum Panormit. in *c. cit. n. 3.* istius argumentò docent Laiman *n. 2.* & Barbosa *n. 4.*

101. Dubium hic est, an error in Latinitate rescriptum etiam vitiet quoad partes separatas, errorem in illa non continentem. Ratio dubitandi oritur à paritate ob-vel subreptionis: quæ rescripti partes separatas non affici & vitari, dictum est *n. 85.* Sed paritas non est; quia vitium Latinitatis facit, ut rescriptum non à Curia, vel saltem contra Principis voluntatem emanasse, præsumatur: non item in una parte admittitur ob-vel subreptio; quia ista non impedit, quò minus de voluntate Principis, quoad gratiam concessam in parte omnino separata, constet. Ita in *c. cit. Felinus n. 2.* Barbosa *n. 4.* & Fagnanus *n. 7.*

Quamvis autem ex manifesto errore in Latinitate, literas è Curia Apostolica non emanasse & esse falsas, præsumatur, *c. Ad audientiam cit. & c. Quàm gravi 6. de Crimine falsi*, eam tamen præsumptionem juris tantum, non etiam

de jure esse, verisimilius censet Engel *ad hanc Rubr. n. 13.* quòd, si ejusmodi literas è Curia vel Cancellaria Apostolica emanasse verasque esse, appareat aut legitime probetur, executioni mandari possint: & licet per multorum manus & oculos transeant, propter earum tamen & negotiorum aliorum multitudinem contingere possit, ut scriptoris festinatione & incuria contra Curia stylò receptam Latinitatem error irrepit, & ab Officialibus, à quibus literæ revidentur, ad alia, quibus urgentur & aliquando admodum afficiuntur, negotia interestis, non deprehendatur.

Octavo, de falsitate suspecta sunt rescripta, quibus Patriarchæ, Archi- aut Episcopi *Filii*: Imperator, Reges, alii Principes & Seculares quicumque *Fratres* appellantur, aut ad unum termo sit in numero plurali, *c. Quàm gravi 6. de Crimine falsi*; quia continent errorem contra stylum Curia & sedis Apostolicæ; quæ solos Patriarchas, Archi- & Episcopos confirmatos, *Venerabiles Fratres*; Reges autem & alios Principes *Seculares Dilectos filios*, & *Illustres* aut *Nobiles*: si conjugali vinculo aliquando ligati, *Viros*: si soluti adhuc sint, *Juvenes* appellat. Eodem *Filii* nomine vocat Episcopos tantum electos, iisque inferiores Prælatos & Capitulum Cathedralis vel Collegiati: imò etiam S. R. E. Cardinales, qui Episcopi non sunt: nisi cum eis simul Episcopos alloquatur, Gonzalez in *c. Quàm gravi cit. n. 2.*

Nondè, quæ carent debita solemnitate, arg. *l. Si jubemus 29. C. de Testamentis*: quæ raluram, lituram vel cancellationem continent in loco suspecto rescripti, seu parte ejus substantiali, arg. *c. Inter dilectos 6. de Fide Instrument.* ubi hujus vitii pleniorum dabitur explicacionem.



## ARTICULUS VII.

## De Rescriptorum Interpretatione.

## SUMMARIUM.

104. Rescripta intelligenda secundum Jus.
105. Ad lites data, ad causas & personas non expressas,
106. Præsertim expressis majores,
107. Vel specialiter exprimentas non sunt extendenda:
108. Neque re integrâ ad successorem,
109. Nisi ratione rei conveniatur.
110. Scribè etiam interpretanda rescripta ad beneficia;
111. Ut nomine vacaturi, recens erendum:
112. Vacaturi per resignationem, vacans per obitum:
113. Vacaturi in Diocesi, Cathedrali non intelligatur.
114. Latam interpretationem admittit Motus proprius,
115. Et alia rescripta merè favorabilia.
116. In rescripti executione servanda est eò prescripta forma:
117. Secus acta invalida sunt:
118. Nisi forma esset solummodo accidentalis.
119. De forma substantiali sunt, quæ cum clausula irrutante,
120. Vel modo à Jure diverso:
121. Non, quæ modò Jure prescriptò expedienda committuntur.
122. Quæ regulariter, non semper procedunt.
104. **R**escripta, validè impetrata, non semper ita clara sunt, ut non aliqua dubitatio oriatur de voluntate Papæ vel alterius

Principis rescribentis; & propterea opus sit interpretatione: quæ, sicut in legibus ac statutis, in instrumentis ac literis aliis, sic etiam in Justitiæ & Gratiæ rescriptis faciendâ imprimis secundum propriam & communi usu, præsertim Curiæ, è qua illa emanant, receptam significationem, per tradita tit. 2. n. 123. & tradenda Lib. 5. tit. 40. à n. 13. Deinde secundum Jus commune, c. Causam 18. ut, cum de rescribentis contraria voluntate non constat, à Juris illius Regulis quàm potest minimum recedatur, juxta dicta cit. tit. 2. n. 124. & tit. 40. n. 20. Ratio est partim; quia mens principis rescribentis talis esse præsumitur, qualis esse de Jure debet, l. Ex factis 43. pr. ff. de Pupill. & vulg. substituit. & c. Ecclesia 57. V. Neque enim de Elect. partim verò; quia rescripta Justitiæ ad communis Juris observantiam conceduntur, Panormit. in c. Causam cit. n. 6. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 15. & generatim omnia rescripta contraria juri, vel ex ipsius Juris dispositione invalida sunt, can. Rescripta 25. q. 2. & l. fin. C. Si contra jus &c. vel, ea clausulâ juri illi derogante esse munita, est necesse, ut arg. l. fin. cit. & l. Nullus 2. pr. C. de Summa Trinit. dictum est n. 3.

Præterea in rescriptis interpretatio stricta latæ præferenda est imprimis, si ea sint Justitiæ sive ad lites, c. Causam cit. Glossa in c. Nonnulli 28. V. Lites Felinus in c. Causam cit. n. 6. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 17. Ratio est; quia hujusmodi rescripta ferè sunt odiosa; cum, quòd per ea derogetur jurisdictioni Ordinariorum: tum verò; quia tendunt ad lites: quæ, tanquam pacis & tranquillitatis publicæ hostes & multorum criminum fomenta, restringendæ sunt, Glossa in c. Nonnulli 28. V. Lites & ibi Barbosa n. 15. Quare pri- 105. mò hu-



- mò hujusmodi rescriptum extendendum non est ad casum sive causam & personam, eò non expressam, & cum hujusmodi causa vel persona non conjunctam, *c. Cum olim 32. & c. P. & G. 40. de Offic. deleg. Vivianus in Ration c. cit.*
106. Secundò, si tali rescripto expressa sint personæ minores, quæ vi illius in iudicio conveniri possunt, cum clausula *Et quedam alia persona*, vi hujus clausulæ conveniri nequeunt personæ, expressis digniores & majores, *c. Sedes 15.* neque plures quàm tres, aut quatuor ad summum, *c. Cum in multis 2. in 6.* Tertio, eòdem modò delegatâ iudicibus causâ aliquâ, rescriptò expressâ cum clausula, *Cognoscatis super his & aliis quibusdam*, vi ejus cognoscere iudices non possunt de causis majoribus & gravioribus, quàm sunt expressæ, *c. Sedes cit. V. Nec super*: neq; etiam, de causis & litibus quæ post rescripti impetrationem sunt exortæ, *c. fin. ibi. Aut literas ipsas ad futuras causas trahunt, que nondum fuerant tempore impetrationis*: ob eamque causam etiam in Justitiæ rescriptis fere tempus *Data* est inspiciendum. Ratio præter allatam est; quia universim omnis dispositio, quantumcunque generalis sit, de rebus præsentibus, non de futuris, nisi aliud exprimat, facta censetur, arg. *l. Si scripisset 46. ff. de Legat 2.*
107. Quarto, vi rescripti, impetrati contra homines, *Qui sunt in Diœcesi*, conveniri nequeunt, qui sunt in civitate Episcopali, *c. Rodolphus 35.* quia nomine Diœcesis sæpe, præsertim in materiis odiosis, territorium tantum extra civitatem illam situm venit, arg. *c. Quamvis 4. de Præbend. in 6.* Quintò hujusmodi rescriptum impetratum contra aliquem v.g. Comitem aut Prælaturum cum clausula, *Et quosdam alios laicos vel etiam clericos*, re integrâ, extendi nequit ad suc-

cessorem in comitatu vel Prælatura *c. Significavit 36.* Re, inquam, *integra*; quia, si lis cepta jam fuisset cum defuncto, istius in comitatu successorem heredem vi ejus conveniri posse, ex *c. cit. verbis. Quòd, nec, dum viveret, fuerat ad iudiciū vocatus*, argumentò à contrario ductò, defumum Glossa *V. Dum viveret*, Panormit. *n. 6.* & Laiman *n. 1. V. Secundò*.

Eodem modo vi Rescripti conveniri successor possit, si ejus vi antecessor ratione Comitatus, atque etiam Prælaturæ, non personæ suæ ratione fuisset conveniendus, ut colligitur ex *c. Dilecti 17. de Foro compet. & cum cit. Glossa & Panormit n. 4.* tradit Joan. Andr. *ibid. n. 12.* & Laiman *n. 2.* quòd Comitatus & Prælaturæ, ratione cujus antecessor conveniendus erat, cum isto non sit extincta, sed transierit ad successorem, arg. *c. Quoniam 14. de Offic. delegati & c. Si gratiosè 5. hac Rubr. in 6.*

Deinde strictè accipienda etiam sunt rescripta Gratia ad beneficia, *c. Quamvis cit.* nisi mandantis intentionem aliam esse constet per textum & Glossam in *c. Susceptum 6. in Casu in 6.* Ratio; cur hæc Rescripta, quantumvis beneficia principis sint, regulariter strictam interpretationem exigant, est; quia sunt odiosa; cum, ut *c. Quamvis cit. pr.* dicitur, per ambitionem soleant impetrari: & derogent juri eorum, ad quos de Jure communi provisio pertineret. Unde

Primò, mandatum de conferendo beneficio vacaturo, non extenditur ad beneficium post datam rescripti primùm erectum, *Clement. fin. ferè*, sicut rescripta Justitiæ ad lites postea exortas non extenduntur, *c. fin.* Ratio est partim; quia rescribens, cujus mens & intentio præcipuè attendenda est, *c. Quia sæpe 15. de Præbend. in 6.* de beneficio tempore rescripti nondum existente, non cogit



tasse videtur; præsertim cum benefici-  
um, quod nulli collatum, ac proinde  
possessum nunquam fuit, vacare proprie  
non censetur; quia nova erectio non  
est modus, per quem beneficii vacatio  
inducatur, Barbosa in *Clement. cit. n.*  
*7. partim*; quia ad beneficium de novo  
creandum facta extensio nocet tertio,  
jmo ejus fundatori: qui, si id non à se  
designando, sed ejusmodi mandatum ha-  
benti, & fortassis omnino ignoto, con-  
ferendum videret, à fundatione facile re-  
traheretur, Glossa *fin. in Clement. cit.*  
& Vivianus in *ejus ratione*.

112. Secundo, vi rescripti ad benefi-  
cium v.g. Titii, vacaturum per resigna-  
tionem, conferri id nequit, si vacet per  
obitum illius, c. *Susceptum cit.* cujus  
textu insinuata ratio est; quod obitus  
& renuntiatio sint diversi modi inducen-  
di beneficiorum vacationem, & species  
istius diversæ; aliud enim est *Cedere* &  
aliud *Decedere*, inquit Glossa in *c. cit. V.*  
*Non morte*; ut propterea, quod dicitur  
de una, de altera non rectè exaudiatur;  
cum à diversis illatio non fiat, l. *Papi-  
nianus 20. ff. de Minoribus § l. Inter 87.*  
*§. 5. V. Sed hac dissimilia sunt ff. de V. O.*  
Vivianus in *c. Susceptum cit. ratione &*  
*ibi Laiman n. 1.*

Neque obstat; quod renuntians  
quoad Ecclesiam mortuus fingatur, §. *Ee-  
ce post can. In apibus 7. q. 1. ac proinde,*  
quæ per mortem & renuntiationem con-  
tingunt, vacationes diversæ de Jure non  
sint; quia, etsi vacationes istæ æquipa-  
rentur quoad beneficii administrationem:  
quam, sicut mors, sic & renuntiatio au-  
fert, §. *cit.* non tamen æquiparantur quo-  
ad omnia; cum, qui renuntiat, ad be-  
neficium denuo assumi, c. *Ex transmissa*  
*3. de renuntiat.* non etiam mortuus possit;  
sed quoad ea duntaxat, quæ Jure sunt  
expressa; quia mors civilis naturali non

æquiparatur, nisi in casibus Jure expressis,  
l. *Ex ea parte 121. §. 2. ff. de V. O.* ut in  
*c. Susceptum cit.* cum Glossa *cit.* notant  
Archidiaconus in *fine & Francus n. 16.*

Tertio, Rescriptum, quò Papa con-  
ferri alicui mandat beneficium in aliqua  
Ecclesia Civitatis vel Diocesis, non ex-  
tenditur ad beneficium Ecclesiæ Cathedra-  
lis, c. *Quamvis cit.* Ratio est; quia  
ex una, quæ speciali mentione ac notà  
digna sunt, si specialiter non exprimantur,  
omissa censentur studiosè, & pro-  
neglectis habentur, arg. c. *Quia pericu-  
losum 4. de Sent. Excom. in 6. § l. Item*  
*apud 15. §. 26. ff. de Injuriis*: & in  
rescriptis odiosis sub generalibus verbis  
non continentur, quæ expressis majora  
sunt & digniora, arg. c. *Sedes 15.* ex al-  
tera verò parte, speciali nota & men-  
tione digna est Ecclesia Cathedralis; cum  
in ea Canonicatum vel præbendam habe-  
re magnus honor & præminentia ali-  
qua sit, ut ex *c. Quamvis cit. & c. Sta-  
tutum cit. §. Sancimus* desumit Gonzalez.  
in *Reg. 8. cancell. Gloss. 2. n. 39.* ut pro-  
pterea in rescripto beneficii, illam ge-  
nerali Ecclesiæ nomine comprehendit,  
merito noluerit Bonifacius VIII. c.  
*Quamvis cit.* nisi à rescribente etiam ip-  
sam intelligi, ut c. *Pro illorum 22. de Præ-  
bend.* ex rescripti verbis aut aliis cir-  
cumstantiis desumatur, Vivianus in *c.*  
*Quamvis cit. & ibi Barbosa n. 5.*

Excipienda tamen sunt rescripta be-  
neficialia, concessa motu proprio; hæc  
enim latiore (non tamen ultra verbo-  
rum vim extensam, Glossa in *c. Dudum 14.*  
*V. De ipsa de Præbend.*) interpretatio-  
nem admittunt, quàm ea, quæ ad alicu-  
jus instantiam impetrantur: uti etiam  
rescripta, quibus Episcopo conceditur  
facultas conferendi beneficia propriæ  
diocesis, quæ erunt reservata; quia per  
talia res reducitur ad primævum suum  
statum



statum, Felinus in *c. Causam* 18. n. 17.

Demum alia etiam Gratia rescripta, quibus derogatur Juri communi, aut etiam alicujus privati juri quaesito praedjudicatur; quia in dubio, alicui jus suum auferre voluisse, Princeps non praesumitur, *l. Praetor ait* 2. §. 16. ff. *Nequid in loco publ. & c. Ex tuarum* 5. juncta Glossa *V. Permittat de Auth. Pall.* neque etiam Juri communi contrarium decernere: nisi ei deroget per clausulam, *Non obstante tali lege vel Constitutione, l. fin. C. Si contra jus &c.* Aliud dicendum est de

115. rescriptis Gratia, quae continent favorem Principis nemini, nisi ipsimet, praedjudicantem; haec enim latissime interpretanda sunt, *c. Cum dilecti* 6. de *Donat. & l. Beneficium* 3. ff. de *Constit. Princip.* dummodo non sint ambitiosa, *c. Quamvis* 4. de *Præbend. in 6.*

Dubium hoc loco est, quænam sint 116. de rescripti forma. Quod magni in praxi usus ac momenti est; quia in executione rescriptorum, his praescriptam formam servari, adeo necesse est; ut processus & actus, contra formam, quæ illis praescripta est, attentati, ipso jure irriti sint, *c. Cum dilecti* 22. *hic & c. Cui de non sacerdotali* 27. de *Præbend. in 6.* ubi mandati Apostolici de providendo fines diligenter observandi dicuntur, iisque ad unguem, etiam in minimo, non observatis facta beneficii collatio irrita habetur. Ratio est non solum; quod juxta deducta tam Gratia quam Justitiae rescripta sint stricti juris, & ultra expressa non porrigantur: sed etiam; quod is, qui mandati fines excessit, aliud quid, quam mandatum est, agere videatur, *l. Diligenter* 5. pr. ff. *Mandati*; cum rescripto delegatus iudex vel executor circa causam vel negotium sibi commissum ullam agendi potestatem non habeat: nisi quæ ipsi commissa est rescri-

ptō; atque idcirco; quod contra vel præter formam eō præscriptam agit, propter defectum potestatis agendi invalidè agat, Felinus in *c. Cum dilecti* cit. n. 6. Tiraquell. in *l. Si unquam* 8. C. *De revocand. donat. V. Libertis* n. 59. Molina *Tract. 5. de I. & I. disp. 25. n. 2.* & alii apud Barbosam in *c. cit. à n. 2.* Quæ usque adeo vera sunt, ut forma rescripti præscripta suppleri nequeat per aliquid æquipollens; cum specificè implenda sit, Felinus in *c. cit. n. 10. ampliat. 11.* & Pirrhing ad *hanc Rubr. n. 45.* jmo contra rescripti formam, etiam de partium consensu, acta invalida sunt; quod rescripta Principum sint Juris publici: cui cessionibus & pactionibus privatorum nequit derogari, *c. Si diligenti* 12. de *Foro compet. & l. Jus publicum* 38. ff. de *Pactis*, saltem si forma præscripta non sit merò favore partium; cum enim hujusmodi favori mutuo consensu partium renuntiari valeat, *c. Si de terra* 6. de *Privileg. & l. Si quis* 29. C. de *Pactis*, contra vel præter formam, suò præcisè favore præscriptam, mutuo partium consensu acta jure subsistent, *citr. Felin. n. 6. ampl. 5. & Pirrhing n. 45.*

Verùm ista de forma duntaxat substantiali: non etiam de accidentali procedunt; cum, si delegatus quidpiam, præsertim communi jure non ad valorem, sed ad honestatē duntaxat actus requisitum, per modum instructionis vel admonitionis ad negotium licitè expediendum, observare rescripto jubeatur, v.g. si alicui committatur, ut matrimonio inter duos contrahendo assistat: etque contrahentium denuntiationes præmittere, vel in his contractui de jure præmittendis dispensare jubeatur cum inhibitione; ne ante denuntiationes post contractum faciendas matrimonium consumment, matrimonium, quod delega-



to assistente; (neglecto tamen mandato id denunciandi vel consummationem ad tempus inhibendi) contractum est; Jure subsistat; quod denuntiatio & inhibito illa non sit de forma commissionis substantiali; Sanchez *Lib. 3. de Matrim. disp. 33. n. 6. ad 2.* & Laiman *in c. Cum dilecta cit. n. 6. §. Addendum.*

Quando autem rescripto præscripta forma Substantialis, vel solummodo Accidentalit sit, statuere non ita expeditum est; fatis tamen perspicuum reddet propositæ dubitationis resolutio, subjecto Regularum quaternario comprehensa.

Regula itaque prima sit, ea, quæ **119.** delegato committuntur cum clausula, *Non aliter, Sic neque aliò modò, Si secus fiat, irritum sit & inane*, aliæve simili, ad rescripti & istò commissi actûs substantiam pertinere, certa sententia DD. apud Barbosâ *Tract. de Clausul. ususreq. clausul. 81. à n. 2.* & Ratio aperta est; quia hujusmodi clausulæ denotant præcisam voluntatem rescribentis, agendi facultatem non committentis, nisi modò præscriptò; ut adeò istò, tanquam forma substantiali, non observatò, actum corrumpere sit necesse, Glossa *in c. Cum dilecta cit. V. Irritum. ubi Panormit. n. 6.* & Tiraquell. *in l. Si unquam cit. V. Revertatur n. 67.*

Regula secunda, de forma rescripti **120.** pti substantiali & à delegato necessariò observanda sunt, quæ à delegante modò à communi Jure diversò, eòve non præscriptò expedienda committuntur, Panormit *in c. cit. n. 12.* Covarruvias *in c. Alma p. 1. §. 9. n. 8.* & Laiman *in c. Cum dilecta cit. n. 6. §. Vel formæ* sic enim *c. cit.* delegato præscriptus personalis accessus ad monasterium & constitutio administratoris, cui subtractorum restitutio fieret, quæ commissi negotij per-

tractationi præmitti Papa voluit, ad foram rescripti substantialem pertinebant; quòd ea Papa rescribens præter Juris communis ordinem observari mandabit; Panormit & Laiman *l. cit.* sic etiã, si Papa beneficium Titio conferri mandet, si is in Sacra Theologia vel Jure Canonico Doctor vel Licentiatu sit, hæc Gradus literarij qualitas pertinet ad formam rescripti substantialem; ut impertranti facta beneficii collatio non subsistat, si Titius ejusmodi Gradu non sit condecoratus, Innocent. *in c. fin. de Præsumpt. pr. & Immola in c. Ex parte 12. de Constitut. n. 2.* Ratio est; quia Papa negotij rescriptò commissi tractationi novum & Jure non proditum modum præscribens, id aliò quàm præscriptò modò pertractari, & pertractatum valere nolle, præsumitur.

Regula tertia, contra ad rescripti **121.** formam solum accidentalem pertinere censentur, quæ illò tractanda committuntur secundum Jus commune: si quod illò committitur, Jure istò ad substantiam & valorem actûs non requiratur, ut *in c. fin. cit. Innocent. pr. Panormit. n. 16. Felinus n. 29. cit. Covarr. n. 8.* & Sanchez *n. 3.* docent, & probatur supra allatò exemplò, sacerdoti commissæ assistentiæ matrimonialis, cum mandato matrimonium denunciandi vel ejus contracti consummationem ante denuntiationem inhibendi. Ratio est; quia quoties delegato forma Juris communis eò modò, quò jure inest, præscribitur, delegantis intentio non est delegato novam formam statuere, sed eum solummodo instruere & admonere, ut procedat secundum formam juris communis; ut adeò actus, quò hujusmodi commune Jus non observatur, illicitus quidem, non tamen irritus sit: nisi aliter gestus ab iplo jure sit irritatus. Cujus ratio



ulterior est; quia expressio eius, quod ipso Jure inest, nihil speciale operatur, nec dat formam vel ponit conditionem; cum, licet non exprimeretur, subintelligi deberet, l. *Conditiones* 99. ff. de *Condit. & demonstr.* § l. *Hec verba* 3. ff. de *Legat.* 1. ubi Bartol. n. 3. & Tufchus *Pract.* V. *Expressio conclus.* 657.

- Regula quarta, aliquando tamen  
 122. rescripto præter commune Jus præscripta novaque forma solummodo accidentalibus: & contra forma secundum Jus illud præscripta substantialis est: quorum prius accidit, quando ex loquendi modo vel Curia Stylo, ex subjecta materia vel circumstantiis aliis colligitur, Papæ rescribentis intentionem non fuisse, inducere formam seu modum, quò non servatò actus non valeret: sed solummodo delegatum instruere & admonere eorum, quæ ad negotium meliùs expediendum conferre arbitratur, & in ejus tractatione cupit observari. Posterius verò, quando actus aliter gestus ab ipso Jure modum præscribente, si aliter geratur, irritus declaratur: uti &, quando ex loquendi modo aut circumstantiis aliis apparet, formam Juris communis à rescribente præscriptam ea intentione, ut actù, illà non observatà gestum, subsistere nolit; veluti, si Juris comunis formæ, rescripto propositæ, clausula, *Aliter non valeat*, vel alia similis sensus apponatur, *citt.* Laiman n. 6. §. *Addendū* & Pirching n. 48.

### ARTICULUS VIII.

## De eorundem Præsentatione.

### SUMMARIUM.

123. *Hæc faciendâ est tempore, à rescribente præscripto.*  
 124. *Secus Justitiæ rescriptū, si unicum, perpetuum est.*

125. *Ex duobus, in eadem causa impetratis, primum præsentandum est intra annum,*  
 126. *Cessante legitimo impedimento.*  
 127. *Secus post annum irritatur ope exceptionis,*  
 128. *Et secundum subreptitiè impetratum convalescit.*  
 129. *Rescriptum Gratia perpetuò prædest impetranti:*  
 130. *Nisi ei dolus vel notabilis negligentia obijci possit,*  
 131. *Vel præsentationi certum tempus specialiter sit præfixum.*  
 132. *In rescriptis Justitiæ, quoad personæ habilitatē & Actionem, Data: Quoad jurisdictionis usum & revocationem, Præsentationis:*  
 134. *Quoad illius perpetuationem Citationis tempus attenditur.*  
 135. *Dissensio DD. de tempore spectando in literis Gratia.*  
 136. *Verius Data attenditur quoad qualitates executoris,*  
 137. *Et capacitatem impetrationis rescripti,*  
 138. *In literis continentibus gratiam jam factam,*  
 139. *Et in aliis quoad ea, quæ inducunt subreptionem,*  
 140. *Tempus executionis, quoad hujus inchoationem & perfectionem,*  
 141. *Quoad habilitatem, cujus defectus subreptionem non inducit,*  
 142. *In literis continentibus clausulam, si tibi constiterit &c.*  
 143. *Et quoad beneficii naturam & qualitates attenditur.*  
 144. *Non solius Signatura aut Verbi Patris tempus spectatur.*

**U**T rescriptum legitime impetratum suum sortiatur effectum ab impetrante præsentandum est ju-



est Judicibus vel Executori; ad causæ cognitionem definitionemque vel negotii executionem à rescribente delegatis. Quod sicut omnino certum, ita.

123. Dubium est de tempore, intra quod id præsentari est necesse. Et quidem, si à rescribente certum tempus præfixum sit, rescriptum intra hoc necessario præsentandum: secus evanescere exploratam est; quod omnia rescripta vim, sicut accipiunt & retinent, sic etiam amittant & expirent juxta Principis rescribentis voluntatem, *arg. c. Ad aures 8.* Si autem præfixum certum tempus non sit, ea perennia sive perpetua esse, liquet ex *l. Falso 2. C. De divers. rescript.* ubi Claudius Imp. ait, *Ea, quæ ad jus rescribuntur, perennia esse debent, si modo tempus, in quo allegari & audiri debeant, non sit comprehensum;* ut, si jus partium concernant, eò modo perdurent, quò ipsa actio, cujus ratione impetrantur: & si actio duret tricenniò aut vicenniò, licet non ultra, ad hoc tamen tempus porrigantur, *l. Sicut 3. C. de Præscript. 30. vel 40. annor.*

124. Hac tamen etiam in re discrimen est inter Justitiæ & Gratiæ rescripta: & si ea Justitiæ sive ad lites & Juris observantiam expedita sint, interest, an super eadem causa unum duntaxat, vel duo sint impetrata; cum, si unum tantum impetratum sit, eò utendi facultas ultra annum &, quamdiu durat agendi vel excipiendi jus, super quo impetratum est, permaneat, *l. Falso cit. ubi Glossa V. Perennia & in c. Si autem 9. Panormit. n. 3. Felinus n. 1. & Laiman n. 1.* ut ad eò quoad hunc & usum frequentiore articulum, Juris Civilis dispositionem Canonicò non sublatam; ac proinde, hoc etiam Jure spectatò, Justitiæ rescripta regulariter esse perpetua, cum Jafone in *l. Falso cit. n. 1.* & aliis rectè observet

Fachineus *Lib. 8. Controvers. cap. 55 S. Tertia.*

Si verò super una eademque causa expedita sint rescripta duo: & qui impetravit primum, eò cum posset intra annu per malitiam vel negligentiam usus non sit, rescriptum primu evanescit, & convalescit secundu, quod ab adversario, etiam nulla primi in eadem causa impetrati mentione facta, impetratum fuit, *c. cit. & c. Plerumque 23.* Quò tamen casu primum evanescit non tam per lapsum anni, quam per impetrationem secundi contrarii, conjunctam cum omissione præsentationis primi: & per hanc etiam non quomodocunque, sed per dolum aut negligentiam factam, *c. Si autem cit. ibi Si eis dolo vel negligentia uti postposuerit:* cui conlonat *c. Plerumque cit.* ubi hoc ipsum constitutum est ex ratione; *Quod non sit malitiis hominum indulgendum.* Unde, si delegati judicis copiam se non habuisse, vel quò minus rescriptum intra annum præsentaret, aliter fuisse impeditum, impetrans allegarit ac probarit, rescriptò ultra annum utendi facultas annò non constringetur: sed extendetur, donec judicis copiam nanciscatur, & rescripti usui ac præsentationi obstant impedimentum cesserit, *arg. à contrario ductò ex c. cit.* Si, inquam, probarit; quia impedimentum, si notorium non sit, non solum allegari, sed & probari necesse est ab allegante, *arg. c. fin. de Locato;* cum, si id non probetur, præsentationem impetrantis negligentia ommissam, ex ipso anni lapsu & præsentationis intra eum omissione præsumatur, *Glossa & Interpp. in c. Si autem cit. V. Negligentia.* Secus est, de dolo; hic enim, cum in animo residens per se non appareat, ad excludendum primi rescripti usum etiam post anni lapsu oppositus, ab excipiente per conjecturas & in dicia



dicia externa probandus est, l. *Quotiens* 18. §. 1. ff. de Dolo Panormit. in c. cit. n. 4. ubi Felin n. 2. & 3. Decius n. 2. & Lalman n. 4.

127. Quamvis etiam presentatio intra annum per negligentiam omissa sit, idem tamen rescriptum primum non evanescit aut irritatur ipso Jure: sed exceptionis ope irritandum est ab adversario, à quo in eadem causa ad alios judices impetratum est rescriptum, secundum, c. cit. quorum decisionem, licet primo occurru difficilem reddat, non tamen convellit; quod rescriptum secundum, in eadem causa sine mentione primi impetratum ad judices diversos, subreptitium sit, & judicis delegationem primò factam non tollat, c. *Ceterum* 3. quia reticentiã primi impetratum rescriptum secundum, licet subreptitium & infirmum sit; quod excipiendò elidi valeat intra annum, à primi impetratione computandum, invalidum tamen & irritum non est ipso Jure: ipsaque usûs ac presentationis primi intra annum omissione, per malitiam aut negligentiam factã, convalescit; ut ex eo, qui primum impetravit, conveniri in eadem causa valeat coram judicibus secundò rescriptò delegatis, per apertos textus c. *Si autem* & c. *Plerumque* cit. quod fieri non posset, si propter reticentiã primi irritum fuisset ipso Jure; cum *Quod ab initio nullum est, non possit tractu temporis convalescere, & Non firmetur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*, ut habent Juris Regula 30. ff. & 18. in 6. Panormit in c. *Si autem* cit. n. 2. Felin. in c. *Ad audientiam* 31. n. 17. Menoch. cit. casu 201. n. 3. & Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 21. n. 3.

Neque, sicut primum, sic & secundum exceptionis beneficiò elidi posse, inde evincitur; quòd, licet primum ad

agendum solummodo proficiat intra annum, c. *Si autem* & c. *Plerumque* cit. ex eo tamen exceptio, quã secundum elidatur, perpetuò competat; cum, quæ temporalia sunt ad agendum, perpetua sint ad excipiendum, ex Regula 1. *Licet* §. c. de Except. & prescript. ut liquet exemplò ejus, qui dolò inductus est ad contrahendum; hic enim, licet ipsi competens actio doli bienniò concludatur; istòque lapsò moveri amplius non possit, l. *fin.* C. de Dolo, adversarii tamen, contractum impleri postulantis, actionem doli mali exceptione excludere semper potest, l. *Purè* §. *fin.* ff. de Doli mali except. Non, inquam, secundum etiam rescriptum excipiendò elidi post annum posse, allegata Regula evincit; quia ei locus non est, quando excipiendi jus perpetuam & firmam radicem non habet: sed fundatur in agendi jure, lege concessò & certò tempore restrictò; cum, hujusmodi agendi jure cessante, in eo tanquam radice merè temporali fundatum excipiendi jus deficere necesse sit, arg. l. *Cum cessante* 60. de Appellat. Cum ergo contra rescriptum secundum excipiendi jus præcisè fundetur in agendi jure competente ex primo, istò per anni lapsum & impetrationem secundi, cum dolosa vel negligente omissione presentationis primi conjunctam, cessante, etiam deficiet excipiendi jus, quòd in eo est fundatum, arg. c. cit. Alia Ratio est juris excipiendi fundati in firma & perpetua radice, ut est jus excipiendi de dolo; cum enim v.g. Titio, dolò ad contrahendum inducto à Cajo, istius impletionem contractus petentis actionem doli mali exceptione excludendi jus non præcisè in Actione doli: sed in jure & æquitate naturali, sui defensionem adversus injuriam concedente; ac proinde in stabili & perpetua radice fundetur, excipiendi jus ipsi



ius ipsi competens perpetuum erit: licet actio ex humana legis, litium perennitatem fugientis, dispositione sit temporalis. Ita in *c. Si autem cit.* Panormit. n. 5. Decius n. 6. Laiman n. 3. & Pirrhing, ad hanc Rubr. n. 58.

129. Quod si rescripta Gratiae sive ad beneficia sint, eorum praesentationi certum tempus communi jure praefixum non reperitur. Unde hujusmodi rescripta esse perpetua, ait Panormit. in *c. cit.* n. 4. cum concedentis morte, licet res adhuc integra sit, non perimantur, *c. Si super gratia 9. de Offic. deleg. in 6. & c. Tibi qui 12. hic in 6.* ex cujus §. fin. decisione is, qui super beneficio literas Apostolicas prius accepit, in illius asecutione praetertur ei, qui postea ad idem beneficium alias literas obtinuit: licet iste literas suas prius praesentarit, Laiman in *c. Tibi qui cit. n. 1.*

130. Excipiendus tamen est casus, quod primum rescriptum impetranti dolus vel notabilis negligentia objici potest, *c. cit. in fine*; cum tali casu in asecutione beneficii praeratur is, qui ad idem beneficium secundum rescriptum impetravit, si hoc prius praesentarit, ut *a. n. 163.* plenius tradetur.

131. Excipienda etiam sunt rescripta Gratiae, quorum praesentationi ipsis literis vel Constitutione Speciali terminus est praefixus: sicut iste praefixus est imprimis Concordatis nationis Germanicae, super quibus a Nicolao V. edita Constitutione quae incipit *Ad sacram Calend. Aprilis 1447. §. De Ceteris* cavetur, ut quoties vacante beneficio in mensibus Januarii Martii Maii &c. Specialiter dispositioni dicte Apostolicae Sedis reservationis non apparuerit, intra tres menses a die nota vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo Auctoritate Apostolica provisum fuerit, ex tunc & non antea Ordina-

narius vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo libere disponere possit: quorum verborum declaratio dabitur Lib. 3. tit. 5. a. n. 94. Deinde Constitutione Gregorii XIII. quae incipit *Humano edita Nonis Jan. 1583.* qua Apostolica rescripta sive literae resignationum, ex quacunque, etiam permutationis, causa in Curia Romana & manibus Papae factarum & admistarum, citra montes sive in Italia intra sex, ultra montes autem v.g. in Germania nostra intra novem menses publicari sive promulgari in Ecclesiis jubentur. Secus literae illae carent effectu & beneficia sedis Apostolicae dispositioni reservantur, ut infra *Tit. 9. Art. 7. totid.* pluribus tradetur.

Dubium & resolutionis non minus 132. difficilis quam in praxi utilis, controversa est, an in literis Apostolicis *Data* vel *Præsentata*, sive an illarum in Curia Romana expeditarum, vel delegato sive executori praesentatarum tempus sit attendendum. Qua in re Interpp. ac DD. non pauci imprimis inter Justitiae & Gratiae rescripta statuunt discrimen: deinde, in illis inspiciendum tempus Praesentationis, Regulae instar tradunt. Melius alii, licet discrimen inter rescripta illa ipsi quoque agnoscant, in iis tamen, quae Justitiae administrationem in iudicio spectant, distinguunt varios casus: quorum aliis *Data*, aliis Praesentationis aut aliud tempus inspicere volunt; sic enim

Primo, quoad qualitates sive habilitatem personae, *Data* tempus est attendendum; cum, si persona tempore impetrationis rescripti propter excommunicationem vel qualitatis requisitae defectum ad delegati vel executoris munus inhabilis sit, delegatio ipso jure invalida sit: licet tempore praesentationis rescripti sit habilis, per text. aut arg. *c. 1. in 6. & contra*, si persona *Data* tempore fuit habilis, de-



lis, delegatio seu commissio perseveret: licet requisitam qualitatem non amplius habeat tempore presentationis, Glossa in c. Statutum 11. v. *Canonicis in 6.* Felin. in c. *Eam te 7. n. 13. & 16.* Decius n. 5.

Secundò, idem datæ tempus in hujusmodi rescriptis attenditur quoad actionem, quæ reus coram delegato convenitur; quòd rescripta ad causas & Actiones, post impetrationem primùm ortas, non extendantur, c. *fin. Felinus cit. n. 18.* Ratio est partim; quia Justitiæ rescripta strictè sunt interpretationis, juxta dicta n. 105. partim verò; quia ex Regula generali in simplici, quantumvis generali, dispositione, si aliud non exprimitur, presentia, non quæ necdum orta sunt, negotia solent comprehendendi, *Clement. fin. juncta Glossa fin. hic Et. Si ita scripsisset 46. ff. de Legat. 2.* Panormit. in c. *fin. n. 4.* & ibi Laiman. n. 2.

133. Tertid, quoad jurisdictionem sive istius commissæ exercitiū *Præsentationis*, sive exhibitionis literarum delegato factæ, tempus inspiciendum, defumitur ex c. *Super eo 12. de Appellat.* ubi relati Alexandri III. rescriptum est, *Si intra certum tempus lra decidenda committitur, ex tunc terminus incipit currere, cum judices contigerit literas recepisse;* quia ex istarum receptorum tempore, & non antè, jurisdictionis delegato collata & acquisita censetur; ut ante literarum receptionem illam nequeat exercere, ut in c. *cit. v. Si autem* notant Joan. Andr. n. 3. Panormit. n. 7. & Laiman. n. 3. hujus rationem reddens; quòd jurisdictionis non nisi scienti & acceptanti acquiratur.

Quartò, idem *Præsentationis* tempus attenditur in jurisdictionis vel potestatis delegato vel executori commissæ revocatione; cum ista vim non habeat, antequam literæ delegato vel executori sint presentatæ; ut ante posteriorum litera-

rum, quibus priori rescriptò concessa jurisdictionis vel negotii commissio revocatur, receptionem à delegato vel execute in causa vel negotio sibi commissio acta jure valida sint, c. *Audita 4. §. Licet & §. fin. de Restitut. spoliat.* Francus in *v. Si autem cit. not. 4.* & Laiman n. 5.

Quintò, quoad jurisdictionis in judice delegato perpetuationem post obitum delegantis, neque Datarum neque *Præsentatarum* literarum, sed istarum vigore ab illo factæ Citationis tempus spectatur, c. *Gratum 20. & c. Licet 30. de Offic. delegat. ut ad hanc Rubr. plenius tradetur an. 87.*

Si rescripta sint Gratia, an *Data* vel *Præsentationis* tempus attendendum sit, non convenit inter DD. Sunt enim, qui alterum duntaxat, non tamen omnes idem, spectandum velint: cui illorum in diverfa euntium dissonantiam præbuerunt in speciem contrarii textus c. *Eam te 7. hic & c. Si eo tempore 9. in l. pro Data, sive expeditionis; & c. Ei cui 27. de Præbend. & dignit. in 6. pro Præsentationis & executionis tempore militantes: & ut aliqui opinantur, in concordiam facilius non reducendi, quam si utrumque tempus spectandum asseratur.*

Verùm cum ista conciliatione aperte pugnat decisio c. *Ei cui cit.* vigore mandati Apostolici, de conferenda alicui præbenda proximè vacatura, Sacerdotalem præbendam adstruens illi, qui ejus capax est tempore vacationis & executionis literarum: licet *Data* sive impetrationis tempore ejus ob defectum retatis non fuerit capax, Glossa in c. *cit. v. Nondum Franc. ibid n. 8.* & Azor p. 2. *Instit. Lib. 6. cap. 33. q. 10. §. Altera.*

Quare iste §. *Tertia*, Barbosa in l. *Si eo tempore cit. n. 6. & in c. Is cui cit. n. 5.* & alii DD. alias aliàsque concordia rationes injere, quarum vindicatione impugnationeque aliis relicta, Canonica, at



nica, at non perpetua, Regula inflat statuendum reor, in rescriptis Gratia, quibus Papa alicui providet aut provideri mandat de beneficio, spectandum tempus *Data* sive impetrationis & expeditionis, ut cum Panormit. in c. *Eam te cit. n. 5.* Felino *ibid. n. 18. pr.* Navarro in c. *Si quando 5 hic except. 10. n. 6.* docent Laiman in c. *Si eo tempore cit. n. 1.* & Pirrhing. *ad hanc Rubr. n. 108.* quæ Regula firmatur & declaratur exemplis.

136. Sic enim Primò, literarum Apostolicarum executor earum *Data* sive impetrationis tempore prarditus esse debet qualitatibus, in ipso requisitis c. *Statutum cit. pr.* quod, etsi literarum executio ante earum presentationem permisa non sit, arg. c. *Super eo 12. de Appellat.* ad executionem tamen necessaria jurisdictione ab ipso Papa & ipsis ejusmodi literis conferatur; ac proinde jurisdictionis capax & qualificatus *Data* tempore debeat esse, Glossa in *pr. cit. V. Canonici & Felin. cit. n. 8.*

137. Secundò, persona impetrantis *Data* tempore capax esse debet impetrationis rescripti, sive eò tempore non laborare defectu, de communi Jure vel Stylo Curia impediante rescripti impetrationem, ut est excommunicatio; cum enim generaliter omne rescriptum ab excommunicato super alio, quam excommunicationis vel appellationis articulo, impetratum, ipso Jure irritum sit, c. *1. in 6.* atque idcirco, ne litera Apostolica effectu suo facile destituantur, pramitti in rescriptis soleat absolutio à censuris, Azor *cap. 5. q. 10. cit. in fine.* Cum, inquam, hæc ita sint, impetrantem inhabilitate seu defectu, rescripti impetrationem impediante, *Data* tempore non laborare, est necesse, *cit. Felin. n. 19.* Barbosa in c. *Ei cui cit. n. 5.* & Pirrhing. *ad Rubr. de Præbend. n. 277.*

Tertiò, eòdem *Data* tempore personam impetrantis idoneam & in literis narrata vera esse, necesse est, quando Papa illi provideri mandat in forma *Gratiosa*; cum enim tali forma obtenant litera gratiam sive collationem beneficii à Papa jam factam contineant, & executori fere solam in possessionem inductionem committant, in literis narrata vera & personam idoneam esse oportet tempore *Data*, sive impetrationis, ut cum Panormit. in c. *Quia circa 6. de Consang. & affinit. n. 4.* aliis DD. relatis docet Garcias *p. 6. de Benefic. cap. 2. n. 286.*

138. Quartò, idem *Data* tempus attenditur quoad literarum Subreptionem, arg. c. *Si eo tempore cit.* ex cujus decisione impetrans mandatum de providendo sibi de beneficio cum cura vel sine cura, consequi nequit beneficium curatum, Si *Data* tempore istius capax non fuit propter defectum ætatis, cujus in literis mentio facta non fuit; quòd defectus ætatis reticentia inducat subreptionem literarum, mandantium provisionem de beneficio curato, Panormit. in c. *Dilectus 27. de Præbend. n. 8.* ubi Laiman *n. 1.* Barbosa in c. *Ei cui cit. n. 7.* & Pirrhing. *l. cit. n. 277.*

139. Quintò, idem tempus spectatur, cum super eodem canonicatu & præbenda, in Ecclesia aliqua vacante aut proximè vacatura, duo rescripta impetrantur à diversis; cum tali casu prius datum præferatur posteriori c. *Tibi qui 12. hic & Reg. Qui prior 54. utrobique in 6.* Felin. *cit. n. 18. pr.* uti & si Papa alicui provideri mandat de beneficio vacaturo, saltem; ut hujusmodi literarum vi obtineri nequeat beneficium post *Datam* literarum primùm erectum, *Clement. fin. junctâ Glossâ V. Post datam*; quòd Papa de beneficio, in rerum natura necdum existente, non cogitasse videatur, Vivianus in *Clement. cit.*

Z

Sed, ut



140. Sed, ut jam monui, Regula hæc nequaquam perpetua: sed obnoxia est variis exceptionibus; cum non *Data* sive impetrationis, sed Præsentationis sive executionis tempus in literis Gratæ & mandatis Apostolicis de providendo attendatur, Primò quoad inchoationem & negligentiam executionis; cum ista ante literarum præsentationem non inchoanda, *arg. c. Super eo cit.* & intra triginta dies ab illa computandos adimplenda sit, *Felin. cit. n. 18. fall. 2.* Secundò quoad habilitatem & inhabilitatem etiam personæ, provenientem ex ætatis aliòve defectu, cujus reticentia literarum subreptionem non inducit, *arg. c. Ei cui cit.* ex cujus decisione impetrans mandatum de providendo Sacerdotalem, cujus ob ætatis defectum *Data* tempore capax non fuit, consequi potest, si ejus capax sit tempore executionis, seu vacationis & collationis beneficii, *Felin. cit. n. 18. fall. 1. Panormit. alisque DD. cit.* Tertiò, quando in forma *Dignum* expeditarum literarum executio committitur cum clausulis, *Si tibi constiterit, Si illud impetrantem idoneum esse repereris, Si preces veritate niti repereris &c.* talibus enim casibus *cit.* Garcias *n. 277.* sufficere existimat, si ea, quæ hujusmodi clausulis afficiuntur, executionis tempore verificentur; quòd verba illa denotent tempus futurum: qualitas autem adjecta verbo ad istius tempus referatur, *arg. l. In delictis 4. §. 1. ff. de Noxal. act. Panormit. in c. Cum in cunctis 7. §. Inferiora de Elect. n. 10. & ibi Decius n. 22. Unde cit.* Garcias clausulam, *Si tibi constiterit, quòd dictus resignans aliunde habeat, unde commodè vivere possit, sufficienter verificari ait, si resignans unde commodè vivat, habeat tempore executionis: nisi literæ expeditæ essent in*
143. forma *Gratiosa.* Quartò, quoad natu-

ram & qualitates beneficii; cum, si ex rescripto seu mandato Apostolico alicui providendum sit de beneficio simplici, obtineri valeat, quod *Data* tempore fuerit curatum, si vacationis & executionis tempore sit simplex. Simili modò, qui impetravit literas super beneficio certi valoris, consequi id potest, si vacationis tempore expressi valoris sit, licet *Data* tempore hunc notabiliter exceperit, ut cum Oldrado *Consil. 58.* & Anchorno in *Clement. 1. de Concess. præb.* observat Felinus in *c. Eam te cit. n. 21.* Quin si beneficii collationem ab executore faciendam Papa mandet, quoad personæ habilitatem & narratorum verificationem in plerisque non tam *Data* quam executionis tempus spectandum, non obscure sentire videntur *cit.* Garcias *n. 283.* Laiman in *c. Constitutus 19. n. 7. in fine & Corradus Prax. dispens. Lib. 7. cap. 6. n. 25.*

Neque cum his pugnat; quòd gratia Solà Signaturâ, imò Verbò Papa, perfecta dicatur à Bartolo in *l. Humanum l. C. de LL. & Cassadoro de Causa poss. decis. 4. n. 2.* quia Papa gratiam concessisse & supplicationem signasse censetur die, quâ *Datam* à Datario ad hoc deputato appositam apparet adeò; ut in contrarium probatio non admittatur, ut cum Steph. Gratiano *Discept. for. cap. 191. à n. 1.* & aliis notat Barbosa *Lib. 3. Jur. Eccles. cap. 13. n. 199.* quod ante literarum confessionem gratia adhuc informis reputetur; cum ex Apostolica ordinatione *Judices in curia Romana computati, non iuxta formam supplicationum signatarum super quibuscunque impetrationibus & concessionibus, sed juxta literarum super eisdem confessionum tenores ac formas judicare debeant,* verba sunt Cancell. Apostol. *Reg. 25.* cui consonat dispensationum gratias concernent *Reg. 13.*



Reg. 53. cuius Summaria in scriptio est, Nulli suffragetur dispensatio nisi literis perfectis, exceptis nonnullis casibus à cit. Barbolà à n. 203. relatis.

## ARTICULUS. IX.

De Rescriptorum seu  
Literarum Apostolicarum  
Executoribus.

## SUMMARIUM.

145. *Literarum Apostolicarum Executores sunt Episcopi Salii Prælati,*  
 146. *Et Officiales seu Vicarii generales.*  
 147. *Episcopo commissa executio non competit ejus Vicario, nec vicissim.*  
 148. *Expressò dignitatis nomine Episcopo,*  
 149. *Et Vicario commissa, ad eorum successores:*  
 150. *Et Vicario Episcopali delegata, ad Capitularem non transit:*  
 151. *Nisi delegata sit Vicario diocesis,*  
 152. *Easdem literas exequi possunt Priores Conventuales & similes Regularium Superiores,*  
 153. *Speciali jure non prohibiti:*  
 154. *Abbatès Commendatarii perpetui,*  
 155. *Et Canonici Ecclesiarum Cathedralium Secularium:*  
 156. *Non etiam Regularium.*  
 157. *De Executoribus rescriptorum, quibus causa temporalis,*  
 158. *Aut nudum ministerium committitur,*  
 159. *Et literarum S. Penitentiarie.*  
 160. *Rescriptò Jusstitia delegatus Judex,*

161. *Et literarum Gratia executor vi-ces suas subdelegare possunt.*

**R**escriptorum Apostolicorum, quæ causæ cognitionem & jurisdictionem Ecclesiasticam externam postulant, sive ea Justitiæ sive Gratia sint, executio committi à Papa ejusque Legatis solet &, communi Jure spectatò, debet personis dignitatem Ecclesiasticam vel personatum obtinentibus, aut canonicis alicujus Ecclesiæ Cathedralis, ex celebri Constitutione Bonifacii VIII. c. Statutum 11. §. Sancimus in 6. Quod statuendi ratio justa fuit, partim honor Sedis Apostolicæ; ne ejus authoritas in ministro inferiore facile vilipendatur: partim utilitas impetrantium literas; ut istarum peritos ac dignos habeant executores, Tholosan. Lib. 1. de Rescript. cap. 53. n. 1. Unde, licet Executores ejusmodi literarum esse nequeant inferiores clerici & Religiosi; imò etiam canonici Ecclesiarum Collegiatarum, Vicarii Foranei & Decani Rurales, uti & Priores Claustrales, sive in eadem congregatione subjecti alicui Abbati vel Præposito, immediatam in illam jurisdictionem obtinenti, Clement. Esst. principalis 2. tales tamen, præter S. R. E. Cardinales, Episcopos ceterosque Episcopalis Ordinis & alios, tam Secularium quam Regularium Ecclesiarum, Prælatos, & capitulum Cathedralè, Episcopali Sede vacante, esse queunt

Imprimis Officialis seu Vicarius generalis Episcopi & Capituli, Episcopali sede vacante, Clement. cit. junctâ Glossâ V. Episcopi & Panormit. ibid. n. 4. Ratio est; quòd, licet ad Episcopi nutum revocabilis sit, quamdiu tamen in officio est, ex Episcopali jurisdictione ac tribunali præminentiam habeat & dignitatem,

Z 2

Glossa



Glossa in *Clement. cit. V. Delegatus* & Sbrozz. de *Offic. Vicar. Lib. 1. q. 49.* Unde

147. Dubium oritur primò, an executionem Episcopo commissam ejus Vicarius generalis, & huic commissam in se suscipere valeat Episcopus. Ratio dubitandi est; quòd idem Consistorium seu tribunal eademque jurisdictio sit utriusque, *c. Non putamus 2. de Consuetud. & 6. Romana 3. pr. de Appellat. utrobique in 6.* Sed hoc verum duntaxat est de jurisdictione Ordinaria & de causis mandato Episcopi generali comprehensis: non de jurisdictione à Papa delegata & de Causis exposcentibus mandatum speciale, per ea, quæ traduntur *Tit. 28. à n. 36.* Quare, seclusa delegatione, in executionis à Sede Apostolica alteri soli commissæ negotio, alterum se intromittere posse, cum Felino in *c. Eam te 7. n. 17.* Ripa in *c. cit. n. 46.* & aliis merito negant Pavinus de *Potest. Capit. Sede vac. p. 2. q. 10. n. 14. & 33. cit. Sbrozz. Lib. 2. q. 133 & 136.* Piascius *Prax Episc. cap. 4. n. 7.* & aliis DD. relatis Garcias *p. 6. de Benef. cap. 2. n. 45.* Ratio est; quia propositarum literarum executio Episcopo non competit jure Ordinario: Sed tam ipsi quàm ejus Vicario à Papa delegatur; ut, sicut respectu personæ Episcopi Pontificalis, sic respectu Vicarii literas Apostolicas exequentis ab Episcopo accepta dignitas & officium rationem habeat conditionis sine qua non, seu qualitatis requisitæ *c. Statutum cit.*

148. Dubium Secundò est, an Officiali seu Vicario generali commissæ executio transeat ad ejus successorem. Episcopo, Præposito, Decano, sub Dignitatis, non personæ, nomine commissam ad eorum successores in dignitate transire, desumitur ex *c. Quoniam 14.* junctâ Glossâ *V. Substitutum de Offic. deleg.* quia eorum

dignitas perpetua est, & personæ obitu, renuntiatione, privatione non extinguatur, *c. Si gratiò 5. in 6.*

An idem in Vicarii successore obtineat, dubitandi ratio minimè levis est; quòd jurisdictio Vicarii delegata, eò decedente, cedente, amotò expirare videatur; cum ita ejus dignitas extinguatur, & successoris assumptione alia de novo creetur: idque non necessariò; cum, si Episcopus muneri suo pastoralis superesse solus valeat & velit, Vicarium assumere non cogatur, ut ad *Tit. 28. n. 23.* statuetur. Hoc tamen non obstante

Communis & Curie Styli recepta est doctrina Glossæ in *Clement. cit. V. Principalis Panormit. inc. Quoniam cit. n. 10. & 11. citr. Pavini q. 10. n. 15.* Piascius *n. 7.* Flamin. *Lib. 1. de Resignat. q. 11. à n. 17.* & Garcie *cap. 2. n. 34.* Vicarii generalis vel Officialis nomine expressò commissam executionem ad successores transire defendentium, partim; quòd sic ei facta commissione Papa rationem habeat tribunalis, & ab isto aliquantisper suspensa jurisdictio sustineri videatur; ut ea ipsùmque Vicariatus officium ac dignitas, licet re ipsa non sit, perpetua tamen & continua reputetur; quòd cedenti, decedenti, amotò aliis aliisque Vicarius subrogetur, & Episcopi vices in se suscipiat, *c. 1. ibi, Mos, qui vices ipsius gerunt,* junctâ Glossâ *P. Ipsi de Offic. Vicar. in 6.* partim verò; quòd id exigere videatur provida & suavis gubernatio Ecclesiæ; cum, si literarum Apostolicarum executiones, dicecessu Vicarii generalib⁹ commissæ, cum personis interirent, id per incommodum sumptuosumque esset impetrantibus: qui pro eisdem gratiæ impetratione ad Sedem Apostolicam iteratò recurrere, novasque facere expensas non rarò cogentur.

Dubium est tertio, an executio com-



missa Vicario Episcopi, istò decedente vel cedente, transeat ad Vicarium Capituli. Qua in re ponderandus est tenor commissionis, an scilicet ista facta sit Vicario, Episcopi vel Diocesis nomine expressò; cum, sicut Episcopo commissam ad capitulum non transire, sic Episcopi Vicario commissam executionem Capituli Vicario non competere, apud *cit.* Garciam n. 41. passim negent DD. secuti Glossam in *Clement. Etsi cit. V. Episcopi Felinum in c. Eam te cit. n. 17.* Pavinum q. 10. *cit. n. 7. & cit.* Sbrozz. *Lib. 1. q. 16.* quòd Vicarius Capituli Sede vacante non ipsius Episcopi, sed jurisdictionis duntaxat Episcopalis Vicarius sit. Si verò executio commissam sit Vicario diocesis, vg. Augustanæ vel Eystadianæ, Sanchez *Lib. 8. de Matrim. disp. 27. n. 23.* & Salas *disp. 20. de LL. n. 134.* vacante Sede illam competere, asserunt Vicario Capitalari. Rationem reddunt; quòd, licet non Episcopi, diocesis tamen Vicarius is, qui vacante Sede à Capitulo assumptus est, non minus sit, quàm fuit Episcopalis; imò uterque sit Vicarius Ordinariæ jurisdictionis Episcopalis, vacante Sede penes Capitulum residentis, *c. Si Episcopus 3. & c. fin. de Supplend. neglig. in 6.* & delegationis Apostolicæ, sicut Episcopalis, sic & Capitalaris vicarius sit capax, ut in *Clement. cit.* cum Glossa *V. Episcopi Zabarella q. 13. n. 15.* Anchoran. n. 1. & Imola n. 20. observant. Quà ratione persuasus Sanchez *disp. cit. n. 33.* ad capituli vicarium transire existimat executionem vicario Episcopi commissam; quòd verè succedat istis, sive habenti jurisdictionem Episcopalem.

Sed, licet ratio hæc non contemenda sit, ea tamen, pro qua militat, Opinio adversatur praxi seu Stylo Curiae & Cancellariæ Apostolicæ, Episcopali sede vacante literas gratiæ in forma *Dig-*

num non ad Capituli Vicarium; quasi de eo non confidat: sed ad diocesis Viciniorem Episcopum istiusve Officialem seu Vicarium generalem dirigentis, argumentò minimè obscurò; quòd plenà Sede ad Episcopum aut ejus Vicarium directas Capituli Vicario committere, aut ad eum transmittere Papa non intendat, ut cum Hieron. Paulo *Practica Cancellariæ pr. observant Franc. Leo The-saur. Fori Eccles. cap. 10. n. 8. fall. 5. & 6.* Garcias *cit. cap. 2. n. 44.* & Corradus *Prax. Dispensat. Apostol. lib. 7. cap. 4. n. 11.* Unde hi DD. inter literas Gratiae & Commissiones Apostolicas statuunt notabile discrimen: & licet eas, quæ de Jure vel Stylo Curiae non Ordinariis duntaxat vel istorum Officialibus seu Vicariis generalibus, sed aliis quoque personis in dignitate constitutis & à parte nominatis committi consueverunt, ut literæ beneficiales expeditæ in forma *Gratiosa*, executiones pensionum, delegationes causarum seu litium, Episcopali Sede vacante ad Capituli Vicarium transire facile concedant; quòd tales etiam Capituli Vicario committi de Curiae Stylo soleant & de Jure valeant, Gloss. in *Clement. Etsi cit. V. Episcopi* Panormit. *ibid. n. 1.* & Imola n. 20. eas tamen literas, quarum executio ex dispositione Juris vel Curiae Stylo solis Episcopis aut eorum Vicariis committitur, ut literæ Gratiae in forma *Dignum, ex cit. Constitut. B. Pii V. causa Criminales*, ex decreto Trident. *sess. 13. cap. 2. & sess. 24. cap. 20. utrobis, de Reformat.* dispensationes Matrimoniales, ex decreto ejusdè *sess. 22. cap. 5. de Ref. &c.* à Vicario Episcopali ad Capitalare Sede vacante transire negant; quòd his de Jure vel Stylo illo non committi soleant. Atque hoc inter literas Apostolicas discrimè DD. *cit. S. Congreg. Card. Interpp. declarationibus & Rotæ*



- Romanæ decisionibus confirmant.
152. Deinde, rescriptorum Apostolicorum executores esse de Jure possunt Priores Conventuales sive ii, qui conventui seu congregationi Regularium præfunt ordinaria jurisdictione: etiam si non per electionem, sed superioris nominationem duntaxat constituentur, ab eoque ad libitum valeant removeri, *Clement. cit. n. 6.* & Laiman in *c. Statutum cit. n. 4.* Quæ ratio, cum etiam in Guardianis Ordinis FF. minorum S. Francisci, & in Societatis JESU cæterisque Mendicantium Ordinum Superioribus militet, executio rescriptorum Papæ & Legatorum Apostolicorum committi, de Jure communi, etiam ipsis potest, Franc. in *c. Statutum cit. pr. n. 4.* Sylvester *V. Delegatus n. 3.* & Azor *p. 2. Instit. lib. 3 cap. 17. q. 7.* & Rotæ decisionibus allegatis Barbosa in *Clement. cit. n. 11.* De Jure, inquam, communi; quia Jure specialium Constitutionum delegationes, cum bonorum temporalium litigio conjunctas, à Guardianis admitti posse, negant Rodriguez *Tom. 1. Regular. q. 64. art. 4. in fine* & Sanchez *Lib. 6. Moral. cap. 3. n. 81.* Superioribus etiam minimæ Societatis nostræ ejusmodi executionis munus sine Præpositi Generali licentia non permissum, patet ex *Constitut. p. 6. cap. 3. §. 7.* & monet laudatus Sanchez *n. 82.*
154. Demum Abbates alique Commendatarii perpetui, Secularium & Regularium Ecclesiarum, propter eandem rationem, Gonzalez in *Reg. 8. Cancell. Gloss. §. 8. n. 10.* & aliis relatis *cit.* Barbosa *n. 12.* uti & Canonici Ecclesiarum Cathedralium Secularium.
155. An etiam Regularium, dubium &

incipitis resolutionis controversia est inter DD. Non quidem, si executionem eis Papa ex certa scientia committat; cum enim ab isto, quod supra Jus sit, §. *cit.* dispositioni derogari, & literarum suarum executio cuicumque etiam, clerico & Religioso simplic, committi valeat, *c. Cum olim 14. ibi, Abbatibus & F. monacho, de Privileg.* utique ab eo, si suæ potestatis plenitudine uti velit, ex certa scientia committi etiam poterit canonico Ecclesiæ Cathedralis Regularis. Sed de Jure communi: quod cum Panormia in *c. Causam 9. de Judiciis n. 9. cit.* Rodriguez *Tom. 2. Regul. q. 124. art. 1. Sanchez cap. 13. n. 83.* Laiman in *c. Statutum cit. n. 9.* & Pirrhing *ad Rubr. de Offic. deleg. n. 32.* affirmant, præcipue per moti generalitate §. *Sancimus cit.* Ecclesiarum Cathedralium Canonici literarum Apostolicarum executionem committi, indistinctè permittentis: & auctoritate *Clement. cit.* Dignitatem Regularem quoad ejusdem executionis munus Seculari æquiparantis. Verius tamen Regularibus Canonici quibuscunque ejusmodi executionem committi Jure potest, cum Felino in *c. Causam 9. de Judiciis n. 4.* & in *c. Statutum cit.* Archidiaconus *n. 1.* Joan. Andr. *pr. Franco pr. n. 5.* negant Lud. Gomez in *c. cit. n. 32.* Steph. Gratianus *Discept. cap. 270. n. 6.* & Barbosa uterque, Petrus in *l. Cuius Prætor 12. §. fin. ff. de Judic. n. 60.* Augustin. in *Clement. Esli cit. n. 12.* eadem ratione; quod ante Bonifacium VIII. Religiosi & Canonici Regulares quicumque à judicandi & exequendi munere fuerint remoti, arg. *can. De Presentiam, can. Monachi 16. q. 1. c. Ex parte 2. de Postulando, c. 1. Sc. Ne clerici vel monachi Es.* cum, tanquam mundo mortui, velle & nolle proprium, atque à Prælato suo independens iudicium non habeant



habeant : & propterea nec Procuratoris, *Clement. Religiosus 3. de Procurat.* neque executoris Testamentarii munus sine illius consensu suscipere *c. Religiosus 2. de Testament. in 6.* neque de se etiam factæ electioni consentire valeant, *c. Si religiosus 27. de Elect. in 6.* Dicitur Papa autem §. *Sancimus cit.* relata Constitutione delegationes non extendere sed restringere, & qualitates in personis, quibus rescriptorum Apostolicorum executio committeretur, ante requisitas augere potius quam minuere nullasque personas, quibus talis executio, antiquiori Jure committi non poterat, ad eam habiles reddere intenderit : & propterea, sicut religiosi ceteri, sic etiam regularium Ecclesiarum, tam Cathedralium quam Collegiarum, Canonici ad executorum munus §. *cit.* non sint habilitati.

Neque refert; quod, quoad delegationes sive hujusmodi executiones, dignitatem regularem habentes æquiparentur habentibus dignitatem secularem; quia, sicut isti, sic etiam illi; quod præminentiam cum jurisdictione & plena administratione habeant, delegati & executores esse poterant Jure antiquo, ut in *can. De presentium cit.* Glossa *V. Defensor* notat. Neque etiam; quod Canonici Cathedrales dignitatem habere ceaseantur; quia eò ipsò, quod careant præminentia & jurisdictione externa, dignitatem propriè non habent.

Atque ex his corrui ratio allata pro Canonicis Ecclesiæ Regularis; quibus, cum literarum Apostolicarum executio committi non solet, verisimilius committi etià de Jure non debet; ne huic contrariam consuetudinem, nulla necessitate exigente, statuamus contra Regulam communem; quæ Consuetudo Juris Interpret potius, quam correctoria est censenda, arg. *c.*

*Cum expedit 29. de Elect. in 6. §. 1. Pracipimus 32. C. de appellat.*

Dixi autem suprâ, *Causa, qua spiritalium & Ecclesiasticâ jurisdictione externam requirunt*, Primò, propter causas merè temporales: quas personis, §. *Sancimus cit.* requisitas qualitates non habentibus, jmd etiam laicis delegari posse, ex communi aliorum sensu rectè notant *cit.* Francus *pr. n. 12.* & Laiman *n. 1.*

Secundò, propter executores me-  
ros, sive nudum aliquod factum exercentes: cujusmodi sunt, quibus solum de beneficio provisi in possessionem missio, articulus aliquis non jurisdictionalis & nudum ministerium, vg. sola receptio testium sine ulla causæ cognitione &c. committitur: quales esse possunt personæ, juxta §. *cit.* non qualificatæ, ut ibi notant Laiman *n. 1.* & Barbosa *n. 23. §. 29.*

Tertiò, propter rescripta sive dispensationes pro foro Pœnitentiæ interno, à Si Pœnitentiaria committi solitas Confessario: qui, ut ipsa Literarum inscriptione exprimi solet, esse debet imprimis Magister in Theologia, vel Decretorum sive Juris Canonici Doctor, promotus in Academia; neque enim sufficit, quod sit Doctor Juris solum Imperialis, aut dictarum etiam sacrarum Scientiarum tantum Licentiatius, vel etiam in Ordine aliquo religioso creatus Magister aut etiam Professor actualis: nisi munitus sit privilegio Apostolicò: cujusmodi habent aliqui religiosi: & Societatis nostræ sacerdotes, quibus earum executionem superiores commiserint, à Gregorio XIII. acceperunt *Constitutione*, quæ incipit *Exponi edita 3. April. 1582.* ut in *Compend. Privileg. Societ. V. Confessor n 3* habetur. Deinde esse debet approbatus ab Ordinario Diocesis ipsius Oratoris, sive ejus, quocum dispensatio est faciendâ.  
Demum

157.

158.

159.



Demum ab eodem Oratore ad hoc specialiter electus, Palao *Tract. 3. disp. 6. p. 15. §. 5. n. 1.* & Busenbaum *Medulla Lib. 1. Tract. 2. cap. 4. in Appendice.*

160. Dubium est, an rescripto Apostolico deputatus executor subdelegandò wices suas committere valeat alteri. Iustitiæ rescripto delegato iudici id regulariter permissum, statuetur *infra tit. 29. à n. 15.* De Gratia rescriptorum executoribus dubitandi ratio est; quod literis in forma *Dignum* Concessis apponi soleat clausula, *Si per diligentem examinationem eum ad hoc idoneum esse repereris, super quo conscientiam tuam oneramus*, quæ personæ electionem, & ademptionem facultatis subdelegandi denotari, voluit Baldus *in s. Si pro debilitate 3. de Offic. deleg. n. 6.* Jalon *in l. A iudice 5. C. de Judiciis n. 11. limit. 5.* & Peregrin. *in Rubr. de Offic. deleg. n. 7.* ut saltem de personæ idoneitate examen subdelegando alteri nequeat committi; vel, si hoc valeat, ipsa tamen beneficii collatio ab executeore in alterum nequeat transferri, Piafecius *Pmx. Episc. p. 2. cap. 4. n. 8.* quod ea sit nudum ministerium & executio, cujus subdelegatio inhibita est *c. §. fin. de Offic. deleg.* Sed contra apertas decisiones Bonifacii VIII. & Clement. V. commissiones Apostolicas, quibus certæ personæ de beneficio provideri Papa mandat, per subdelegationem in alios transferri permittentium, *c. Is cui 12. de Offic. deleg. in 6. & Clement. unic. eadem Rubr.* & solummodo expipientium commissiones, quibus, nullâ certâ personâ expressâ, ut Ecclesiæ de persona idonea non nominata præficiatur, Papa mandat: quas decisiones secuti, Panormit. *in c. fin. cit. §. Is autem n. 7.* Felinus *in §. cit. n. 2.* Ugolin. *de Poesst. Episc. cap. 4. §. 7. n. 2.* & Garcias *cit. cap. 2. n. 10.* proposita-

rum literarum executionem in totum, five quoad examen & collationem, subdelegandò aliis committi posse, docent; quod, ubi Papa certâ personam, cui de beneficio providendum est, designat, ullâ speciali industriæ electione opus non fit; cum ferè parum interfit, an ab executeore delegato per se vel per alium provideatur.

Neque his obstat clausula, *Tuam conscientiam oneramus* quia ista non denotat electionem industriæ personæ, sed solummodo declarat officium executoris; quod, cum ipso Jure tacite insit, licet non exprimat, specialem personæ electionem non denotabit; cum, quæ Jure insunt, expressa speciale aliquid non operentur, Panormit. & Felin. *l. cit.* Neque etiam literarum executio nudum ministerium est, cum per se includat jurisdictionem & cognitionem de provisi idoneitate & de jure contradictorium, compescendorum, si de facto solum contradicere intelligantur, Panormit. *in §. fin. cit. n. 6.*

### ARTICULUS X.

De Rescripti unius ex pluribus, super eodem negotio impetratis, Prælatione.

#### SUMMARIUM.

162. Rescripti executioni locus non est ante ejus præsentationem.  
 163. Ex duobus Justitiæ rescriptis prius prævalet:  
 164. Nisi in posteriori ejus mentio fiat.  
 165. Etiam ex duobus Gratia rescriptis prius,  
 166. Quatuor casibus exceptis, præferatur:  
 167. Lit.



167. Licet utrumque simul impetratum sit.  
 168. Rescriptum speciale derogat generalis.  
 169. Nisi istud quaesitum sit ius in re.  
 170. Si generale vel speciale utrumque sit, id quod magis speciale,  
 171. Vel prius derogat posteriori.

162. **R**escriptorum Apostolicorum executioni locus non est, ante eorum delegato iudici vel alteri executori factam praesentationem, c. Super eo 12. de Appellat. ut, licet quis causam vel negotium suae executioni commisit sciat, illius tamen praesentationem suscipere nequeat, antequam rescriptum Originale vel authenticum sibi praesentatum receperit, Panormit. in c. Cum in iure 31. de Offic. deleg. n. 6. Speculat. Tit. de Rescript. present. a n. 3. Gomez in c. Statutum 11. in 6. 163. n. 60. & Garcias p. 6. de Benefic. cap. 2. num. 16. qua de re sermo redibit Tit. 29. n. 43. Quoniam verò non raro super una eademque causa vel negotio duo plurave rescripta Apostolica, aliquando ab eodem, aliquando à diversis impetrata, delegatis iudicibus vel executoribus praesentantur

Dubium & quaestio est, quodnam ex duobus pluribusve eiusmodi rescriptis alteri praefendum & mandandum sit executioni.

Et quidem, si ea Iustitiae sint, & posterius mentionem non faciat prioris, hoc sive prius impetratum intra annum praevaleat: posterius autem tanquam subreptitium exceptionis ope irritari, dictum est n. 48. nisi tamen rescripto suo qui prius impetravit, expressè vel tacite renuntiasset, Laiman in c. Caterum 3. n. 3. Quin, si prius communi utriusque partis consensu fuisset impetratum, non so-

lum posterius ab earum una ad alios iudices, altera parte ignorante nullaque prioris mentione facta, impetratum subreptitium foret: sed etiam pars hoc impetrans adversae parti in expensis propterea, v.g. ad citationem ex secundo rescripto factam in iudicium veniendo, factis esset condemnanda, c. cit. V. Verum; cum, quòd Papa iudices communi partium consensu constitutos revocare non soleat ad instantiam unius: tum verò; quòd, cum literas ad alios iudices dolose impetrans injusta causa sit ejusmodi expensarum, in his adversae parti meritò condemnetur; ut puniatur in eo, in quo deliquit, c. Literas 13. de Temp. Ordinat. Et. fin. ibid. in 6. Laiman in c. Caterum cit. n. 8. & 161. Gonzalez n. 6. Si verò prioris rescripti mentio fiat in posteriori, hoc praevalebit & causae cognitio definitioque pertinebit ad iudices eò delegatos; quòd tali casu Papa causam à iudicibus priori rescripto delegatis avocasse, & illis commississe intelligatur, Laiman in c. cit. n. 5.

Si autem rescripta sint Gratiae, v.g. duae gratiae Expectativae vel Mandata de providendo alicui de beneficio, in certa Ecclesia vacante vel proximè vacaturo, opus est distinctione; vel enim utrumque rescriptum est ad unum idemque & certum beneficium sive, ut DD. loquuntur, ad certum corpus beneficii, vel solummodo ad certam Ecclesiam sive ad beneficium in ea vacans aut proximè vacaturum?

Si prius, & quodnam ex duobus rescriptis prius impetratum & expeditum sit, appareat, procul dubio id praefendum & mandandum est executioni: posterius verò, prioris mentionem non faciens, subreptitium ipsòque Jure invalidum est, iuxta dicta n. 33. junctò n. 73. ut ejus impetrator beneficium consequi

A a etiam



etiam nequeat, licet impetrator primi in istius præsentatione negligens fuisset, Panormit. in c. Capitulum 30. n. 3. in fine.

Si posterius, & rescriptum solummodo ad beneficium in Ecclesia vacans aut proximè vacaturum referatur, secundum quidem à subreptione immune & validum, ei tamen regulariter præferendum, & executioni mandandum est primum: etiamsi secundum Ordinario vel alteri executori ante fuerit præsentatum, ex Constitutione Bonifacii VIII. relata c. Tibi qui 12. in 6. ut tali casu fere Data, non Præsentationis tempus inspiciendum, & locus sit Regulæ, Qui prior est tempore, potior est jure, quæ est 54. in 6. Quod multò magis procedit in literis gratiæ super beneficio vacante expeditis in forma Dignum: & omnium maximè in impetratis in forma Gratiosa, c. Eum cui 7. de Præb. & dignit. in 6. partim propter posterius, sine priorum mentione impetratarum, subreptionem: partim verò; quòd his non sola spes vel jus respiciens eventum vacationis: sed ad beneficium jam vacans, multòque fortiùs jus: jmd in forma Gratiosa obtentis & continentibus gratiam perfectam, ipsum jus in re & quasi dominium beneficii proviso acquiratur, Anchoranus in c. Eum cui cit. not. 5. & ibi Laiman n. 1.

166. Hæc tamen gratiæ Expectatiæ & de providendo Mandati priùs impetrati prælatio Regularis duntaxat, non perpetua est; cum non desint atque à Franco in c. Tibi qui cit. n. 8. & Felino in c. Capitulum cit. n. 5. referantur plures casus, quibus gratia Expectativa & de providendo Mandatum posterius præferatur priori: veluti

Primò, si priùs impetratà ejusmodi gratiæ seu rescriptò expressum esset cer-

tum tempus v.g. mensis, intra quem, à vacationis notæ die computandum, impetrator literas Ordinario vel alteri executori præsentet, sibi que faciat de beneficio provideri, Clement. unic. V. Scelus. de Concess. præb. jmd &, si primum rescriptum impetranti tale tempus ab Ordinario aliòve executore secundi rescripti assignatum, isque, ut intra tempus illud sibi provideri faciat, monitus fuisset; cum enim intra talem terminum literas, cum posset, non præsentans sibi que non faciens provideri, de notabili negligentia planè convincatur Glossa in Clement. cit. V. Menses, meritò ei præferatur impetrator rescripti secundi, c. Tibi qui cit. V. fin. Felin. cit. n. 5. casu 3. & 4.

Secundò, si rescriptum, quoad Datam posterius, non solum antè præsentatum, sed ejus etiam facta executio & beneficium illud præsentanti bona fide actu collatum fuisset ante præsentationem rescripti, quoad Datam prioris: & istius impetratori objici posset dolus vel notabilis negligentia admissa in præsentatione, c. & V. fin. cit. quòd v.g. istius impetrator Titius beneficium vacans Caio, qui posterius impetravit & præsentavit, ab Ordinario aliòve executore contestati sciens, id fieri sit passus; tali enim casu beneficium Caio non auferendum, in c. cit. cum Franco n. 8. notant Laiman n. 1. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 170. ut adeò Titius gratiam Apostolicam, quam æstimare & revereri oportuisset, parvi faciens & quodammodo eà abutens sibi imputare debeat jacturam, quam multatà suâ & alterius præventionem incurrit, Vivianus in c. Tibi qui cit. 5. fin.

Tertiò, si primò rescriptò alicui de præbenda, secundò alteri de præbenda & Dignitate, Personatu vel Officio in Ecclesia provideri Papa mandasset, præ-



benda Dignitati, Personati vel Officio annexa vacans conferenda est impetranti rescriptum secundum; ut ad eum tali casu primi impetrator eò solum casu preferendus sit, quò vacat præbenda, quæ Dignitati, Personati vel Officio annexa non est, c. *Quia sepe 15. de Prab. & dignit. in 6.* quia præbenda annexa v.g. dignitati huic tanquam principali accelioria est; ac proinde eam sequitur, per *Reg. Accessorium 42. in 6. Glossa fin. in c. cit. ubi Laiman & Barbosa uterque n. 2.*

Quartò, si ejusmodi Gratia rescripto posteriori inserta esset clausula *An referri*; quæ Papa ejus impetratorem omnibus aliis, etiam ante ipsum Apostolica & quavis alia autoritate de simili gratia expeditas literas presentantibus, præferri mandasset, c. *Quodam 40. de Præbend. & c. Auctoritate 7. de Concess. præbend. utrobique in 6.* cum enim hujusmodi rescripto posteriori inserta clausula, quoad *Datum* prior gratia Apostolica alteri facta, revocetur, illius impetrator isti, sive rescriptum quoad *Datum* prius presentanti omnino est præferendus, *Felin cit. n. 5. in fine* ubi istius clausulæ vim latè examinat.

167. Dubium secundò est, quodnam rescriptum ad beneficium in Ecclesia vacans aut proximè vacaturum præferendum sit ex duobus, eadem die expeditis. Si eà die alterum prius impetratum & expeditum appareat, vel impetrantis confessione aut quacunque alia ratione constet vel probetur, id postea expedito præferendum est, juxta c. *Tibi qui & c. Eum cui cit.* Si id nec appareat nec probetur, prævalebit, quod prius est presentatum, *arg. Reg. Qui prior cit. Glossa in c. Duobus 14. V. Impetraverit in 6. ubi Francus n. 4. Gemin. n. 2. & Laiman. n. 2.* Si utrumque simul presentatum sit, locus erit gratificationi;

ut, sicut ex duobus æque idoneis ad idem beneficium à patrono laico presentatis Episcopus, quem vult, in illo instituire, *Glossa in c. Cum autem 24. V. Judicio Episcopi de Jure Patronat.* Sic Ordinarius ex duobus, eodem die expeditas duas gratias Expectativas vel Mandata de providendo simul presentantibus, beneficium vacans, cui vult, valeat conferre, *Glossa in c. Duobus cit. V. Teneantur, ubi Franc. n. 2. & 5. & Laiman. cit. n. 2.*

Sed licet hæc tenentur dicta locum habeant in gratiis Expectativis & Mandatis de providendo, quorum usus olim frequens, post decretum verò S. Synodi Trident. *sess. 24. cap. 19. de Reformat.* & hodie perrarus est: alia tamen ratio est Apostolicorum Gratia rescriptorum, ad beneficia vacantia impetratorum; cum enim hujusmodi rescriptorum super eodem beneficio expeditorum posterius, sine prioris mentione impetratum, subreptitium nullumque sit, casu quò de alterius prioritate non constat, neutrum mandandum erit executioni, donec Papa, ad quem recurrendum est, de literarum prioritate mentem suam declaret & statuatur aliquid certi, *cit. Franc. n. 6. Laiman n. 2. in fine & Pirhing ad hanc Rubr. n. 173. §. Alia.*

Dubium tertio est de duobus rescriptis, quorum unum generale est & alterum speciale. Hoc casu generali, tam Justitiæ quàm Gratia, rescripto per speciale, sive hoc prius sive posterius sit impetratum, derogatur, licet illius nullam mentionem faciat, ut c. *1. & c. Pastoralis 14. §. sine* habetur & declaratur exemplis; sic enim rescripto, quò Cajo liberè appellandi facultas generaliter conceditur, etiam in casibus, quibus appellare Jure communi permissum non est, prævalet rescriptum, quò causa inter eundem Cajum & Titium controversa iudicibus delegatis committitur cum clausula, ut *Appellatio- ne re-*



ne remota procedant, etsi in posteriore nulla mentio fiat prioris, *c. 1. cit.* Eò dem modò, non obstante rescripto, quò Episcopo generaliter conceditur facultas conferendi beneficia, intra suam diocèsin ad sedem Apostolicam devoluta, executioni mandari potest alterum, quò unum ex hujusmodi beneficiis devolutis conferri jubetur Petro, nullà mentione factà generalis facultatis Episcopo concessa, *c. Quamvis 38. de Prab. & dignit. in 6.* Ratio est partim; quia, tam legitimis quàm Canonicis sanctionibus spectatis, per speciem generi derogatur, ut habent *Regula 81. ff. & 34. in 6.* licet generis in specie, ei derogante, mentio non fiat, *c. Dudum 14. V. Nos igitur de Prabend. in 6.* partim; quòd Princeps, ejusmodi facultatem generaliter concedens, non censetur omnino velle abdicare, sed sibi reservare potestatem, ejusmodi actus exercendi, Panormit. *in c. cit. n. 10.*

Neque hanc resolutionem, at difficilem reddat, evertit; quòd hujusmodi privilegium generale, cum Juris communis corpore clausum non sit, Papa verisimiliter ignorare, ac proinde eò indultum & quæsitum jus, si non exprimat, tollere velle non videatur, *arg. c. 1. de Constitut. in 6.* propter quam causam specialis concessio decimarum alicujus prædii intra fines Parochiæ sitæ, facta post generalem concessionem decimarum, ex prædiis intra ejusdem Parochiæ fines sitis provenientium, à Panormit. *in c. 1. cit. n. 10.* pro subreptitia habetur, si mentionem non faciat generalis concessionis præcedentis. Non, inquam, resolutionem hoc evertit; partim, quia Papæ per rescriptum speciale posterius prioris generalis utilitatem non omnino tollit: sed solummodo limitat, ei derogando in aliquo casu occurrente: quod faciendi potestatem priori & generali concessione sibi non ademit, Un-

de posterioris ejusmodi rescripti causa non tam est ignorantia Principis, quam ab isto sibi reservatum jus, generale in aliquo casu speciali limitandi; cum hoc facere non omitteret, etiam si generalis concessionis præcedentis recordaretur, *arg. V. Nos igitur*, ut in *c. 1. cit.* notant Laiman *n. 3.* & Gonzalez *n. 17.* partim; quia generali concessione decimarum impetranti acquiritur jus in re: cui speciali concessione posteriore sine ipsius mentione non derogatur; quia Princeps in ejusmodi jure alicui quæsito præjudicium interire non præsumitur, nisi exprimat, *l. Prætor. ait. 2. §. 16. ff. Ne quid in loco publi.* Aliter res se habet in generali concessione conferendi beneficia in certa diocesi, omnes causas cognoscendi, liberè appellandi, aliòve ejusmodi legitimis actus exercendi; cum enim eà non in re, sed ad rem tantum jus tribuatur, mirum non est, quòd eorum aliquem exercendi facta concessio specialis præcedenti generali deroget, sine istius ulla mentione, *cit. Laiman n. 8.* & Pirthing *ad hanc Rubr. n. 164.*

Neque, ut videri potest, eidem resolutioni obstat *c. Ex parte 12. de Offi. deleg.* ex cujus decisione rescriptum, quò Papa laico conferri mandat beneficium primò vacaturum in certa Ecclesia alicujus diocesis, subreptitium est, si mentionem non faciat priùs impetrati rescripti quòd in Diocesi istà primò vacaturum beneficium Titio iussit conferri; quia rescriptum posterius priori generali directè contrariù est, ejusque utilitatem omnino tollit; cum verificari tantum in uno scilicet primò vacante possit; ac proinde, si primum vacare contingat in dicta Ecclesia, in eodem beneficio, in quo posterius rescriptum debet verificari, ut cum Bartolo *in l. Si domino 99. ff. de Legat. 1. n. 1. rectè observant Panormit. in c. cit. n. 6. Laiman n. 3.*

Excipi-



170. Excipiendi etiam sunt duo casus, quibus generali rescripto per speciale, sine illius mentione, non derogatur: scilicet primò, si generali rescripto inserta sit clausula, derogationem excludens sine expressa ipsius mentione; cum enim rescripto generali, tali clausula munito, ad sibi derogantis rescripti posterioris formam exigatur mentio generalis, huic derogandi vim sine tali mentione speciale rescriptum non habebit, & irritum erit, *arg. c. cum Ordinem 6. ut ad hunc textum notant Panormit. num. 2. Decius n. 3. & Laiman n. 1. Sin c. Pastoralis cit. §. fin. not. 1.* Secundò, si in generali rescripto enumeratæ & specificè expressæ sint personæ aut res, super quibus rescriptum fuit impetratum; cum enim specifica ejusmodi expressione rescriptum generale, quoad personas & res expressas, evadat speciale, ei quoad res & personas specificè enumeratas derogandi vim speciale rescriptum sine prioris mentione non habebit, Panormit *in §. fin. cit. n. 1. & Peckius ad Reg. Generi 34. in 6. n. 4. ad 5.*

171. Si generale sit rescriptum utrumque, id quod magis speciale est, *arg. c. 1. §. c. Pastoralis 14. §. fin. cit. &* si alterò magis speciale neutrum sit, prius impetratum posteriori prævalebit, si hoc clausula priori derogante non sit munitum. Secus est, si talis clausula inserta sit posteriori, Vallens. *ad banc Rubr. §. 5. num. 3.*

Eòdem modò, si utrumque sit speciale, v.g. si duo rescripta super una eademque causa impetrata, iisque causa delegata sit iudicibus diversis, prius prævalebit intra annum, saltem si ejus mentio non fiat in rescripto posteriori, *c. Cæterum 3. &* prioris impetrator contra posteriori de subreptione excipiendi opponat, ut cum Panormit *in c. cit. n. 9.* monet Laiman *n. 2.* Post annum verò evanescente

priori convalescet posteriori, *c. Si autem 9. §. c. Plerumque 23. &* intra annum etiam priori præferetur, si hujus fecerit mentionem, *c. Cæterum cit. &* ibi DD.

## ARTICULUS XI.

## De Rescriptorum Apostolicorum Executione.

## SUMMARIUM.

172. *Facienda hæc est intra tempus expressum rescripto.*  
 173. *A Jure executioni, si rescriptum Justitia, nullum:*  
 174. *Si Gratia sit, 30. dierum tempus prefixum est:*  
 175. *Quò lapsò executio ab eodem,*  
 176. *Vel à substituto executore peti potest:*  
 177. *Nisi ob subreptionem vel persona inhabilitatem sit denegata:*  
 178. *Quò casu ad Sedem Apostolicam est appellandum.*  
 179. *Executor aliquando in solam veritatem narratorum:*  
 180. *Aliquando etiam in persone idoneitatem inquirat.*  
 181. *Examen provisò, cum ejus idoneitas notoria:*  
 182. *Non etiam cum privatim nota est, remitti potest.*  
 183. *Eò semel reprobatus pro approbatione iterum examinandus non est.*  
 184. *Per errorem judicato idoneo facta collatio tenet.*  
 185. *Pape morte non expirant rescripta Gratia:*  
 186. *Nisi ad illius persone beneplacitum,*  
 187. *Vel*

A 2 3



187. *Vel ad beneficium vacaturum incertum,*  
 188. *Sine clausula, Ex nunc prout ex tunc, sint concessæ.*

172. **R**escripto sibi presentato Judex delegatus aliusve Executor causam vel negotium sibi commissum ita tractare debet, ut intra terminum illò sibi præfixum pertractetur, *c. De causis 4. de Offic. deleg.* cum enim tempus rescripto præfixum pertineat ad formam delegationis substantialem, illius lapsu delegati iurisdicchio & potestas expirabit, Panormit. & Laiman in *c. cit. uterque n. 1.*

173. Si causæ vel negotii pertractationi certum tempus non præfixum, & rescriptum Justitiæ sit, iudici quidem eò delegato curandum est; ut liti, quàm commodè potest, citò finis imponatur, & partes labore sumptibus & expensis non vexentur, *c. Finem 5. de Dolo*: certus tamen terminus causæ pertractationi iure constitutus non est, arg. *c. Venerabilis 20. de Judiciis*, quò relato Honorii III. rescriptò ab Imperiali Jure, iudicii instantiæ biennium aut triennium præfigente, *l. Properandum 13. §. 1. C. de Judiciis*, aperte recessum est, cum illò delegatus Judex partis, triennii jam elapsi prætextu iudicium subterfugere nitentis, exceptione non obstante, in negotio seu causa procedere iussus est, Glossa *fin. in c. cit.* ubi Panormit. *num. 6. Felin. num. 1. & Laiman num. 4.* De hujusmodi sive Justitiæ rescriptorum executione pluribus agetur ad *Tit. 29. à n. 42.*

174. Si autem rescriptum Gratiæ sive ad beneficium sit, eò delegati executoris iurisdicchio fere durat quousque provisorius in beneficii possessionem sit inductus, Ordinarius tamen diocæsanus eiusve Officialis seu Vicarius generalis, ad quem rescriptum

sive literæ Apostolicæ directæ sunt, beneficii collationem & provisi in eius possessionem inductionem intra spatium triginta dierum à literarum presentatione computandorum facere tenetur, ex constitutione Pii V. à Flaminio *lib. 8. de Resignat. q. 7. num. 187. & Garcia cap. cit. num. 4. allegata.* Nisi obstet legitimum impedimentum vel contradictor; hunc enim, si de suo vel Ecclesiæ iure contendere velit, executor audire, competentibus terminis ad allegandum assignatis, de causa cognoscere, ac pronuntiare debet per sententiam: quâ demum prolata & cessante, si quod obstabat, aliò impedimentò, neque antè, triginta dierum tempus currit; quòd antè per executorem non steterit, quò minus executioni provisorio mandaretur, *cit. Garcia num. 71. Palao Tract. 13. disp. 2. p. 31. §. 2. n. 4. & Pirrhing ad Rubr. de Præbend. num. 305.* Unde

Dubium oritur primò, quid iuris sit, si, contradictore deficiente & cessante impedimentò, executor missionem in possessionem & collationem beneficii intra triginta dies non faciat, aut facere omnino renuat. Eò casu multum interest inter omissionis vel recusationis causas;

Et quidem, si id facere omittat vel renuat ex negligentia vel malitia, provisorius vel pro literarum executione & collatione beneficii instare apud eundem executorem, & iste moram purgare beneficii conferendò potest; quòd triginta dierum terminus executioni præfixus sit favore ipsius provisi: qui proinde illum executorem adeundi juri renuntiare potest, arg. *c. Si de terra 6. de Privileg. & Reg. Quod ob gratiam 61. in 6. Archidiacon in c. Si capitulo 5. de Concess. præb. in 6. Franc. ibid. num. 3. & cit. Garcia num. 90.* Vel Bullæ executoriæ, cum alia sibi concessæ, vigore secundum executorem



176. torem adire & probatâ primâ malitâ vel negligentia, petere ab ipso potest (præviò examine, si in forma *Dignum* literæ expeditæ sint) sibi faciendam beneficii collationem & missionem in possessionem. *c.* Si capitulo cit. *V. fin. cit.* Garcias num. 60. qui num. 95. rectè observat, primi executoris malitiam vel negligentiam sufficienter probandam, si ex transmissis Actis appareat, factam ei præsentationem literarum Apostolicarum cum requisitione pro executione, & hanc ullâ legitimâ causa non allegatâ omisissam.

177. Si verò executor primus, literis in forma *Dignum* expeditis deputatus, intra triginta dies beneficii non contulerit sub prætextu, quòd impetrans non repertus idoneus vel literæ subreptitiæ sint, recurrere provifus Apostolicus non poterit ad executorem secundum Bullâ Executoriâ, quæ *Rigorosa* dicitur, designatum, & Ordinario vel alteri collatori primo substitutum, ut cum Anchorano in *c.* Si capitulo cit. num. 21. Steph. Gratiano *Discept. forens. cap. 92. num. 31.* & aliis tradit *cit.* Garcias num. 60. Ratio est; quia vigore ejus Bullæ designato executori secundo jurisdictionis conditionalis data est non simpliciter in omnem casum, quòd collatio intra triginta dies non fuerit secuta: sed in eum duntaxat, quòd primus executor fuerit in mora sive negligens, ut per eum steterit, quòd minus literæ Apostolicæ executioni mandarentur. Unde casu, quo hujus executoris malitia vel negligentia non apparet, sed executio ab eo denegata est prætextu subreptionis literarum, vel quòd provifus idoneus repertus non sit, recurfus non est ad secundum; quia istius jurisdictionis eò ipsò, quòd negligentia vel malitia non intervenerit, jam expiravit: sed provifus, qui tali sententia se gravatum sentit, præsidio appellationis gravamen removendum, Rotæ decif. *alleg. docet*

Garcias *l. cit.* Quod etiam procedit, si executor secundus in casum collationis, à primo intra triginta dies non factæ, simpliciter & nullâ negligentia mentione facta est substitutus; quòd, licet non exprimat, substitutio semper in casum, quòd primus in executione fuerit negligens, facta intelligatur, ut *arg. c.* Si capitulo cit. idem observat *n. 64.*

Dubium secundò est, ad quem hoc casu à primo executore sit appellandum, 178. an ad ipsum Papam, vel ad Metropolitanum. Certum est, ad Papam appellandum, quando à primo executore beneficii collatio denegatur prætextu subreptionis; quia executor ad beneficii collationem delegatus est ab ipso Papa: à delegato autem appellandum est ad delegantem, *l. 1. §. 1. fin. ff. Quis & à quo appell. vel istius successorem, l. 1. cit. junctâ Glossâ *V. Et successor.* Quando autem collatio denegatur propter reprobationem examinatorum, provifus Apostolicum judicantium minus idoneum, appellationi non esse locus, aut eâ ad Metropolitanum provocandum videri potest, Prius; quia ex decreto S. Synodi Trident. *sess. 24. cap. 18. §. Cum verò de Reform.* appellatio ab examinatorum reprobatione non datur. Posterius; quia examinatores Synodales non autoritate Apostolica, sed propria sive ex proprio suo munere peragunt examen. Sed hæc speciosa magis quàm solida sunt. Prius; quia decretum Conciliare afficit solum examen in concursu: non id, quod præmittendum est executioni literarum Apostolicarum in forma *Dignum* impetratarum; in hoc enim examine rejecto, si ab executore, examinatorum judicium secuto, collatio denegatur, appellatio ullo jure adempta non reperitur. Posterius; quia provifus Apostolici examen ab examinatores non ordinaria, sed à sede Apostolica dele-*



ca delegata potestate peragitur; cum examinatores, si ab executore à Papa deputato electi non fuissent, provisum examinare non potuissent; ac proinde examen susceperint vice executoris seu delegati Apostolici. Quare rectè, collatione ab executore ob examinatorum reprobationem denegata, appellationi locum esse, cum *cir. Garcia num. 76.* & contra hunc, eam non ad Metropolitanum, sed ad sedem Apostolicam tanquam delegantem interponendam, docet Palao *cir. p. 31. §. 2. n. 9.*

179.

Dubium tertio est, quanam verificanda sint ante literarum Apostolicarum executionem. Quia in re præ oculis habenda est forma literarum; cum, si hæc expeditæ sint in forma *Gratiosa*, & alius sit in beneficii possessione vel appareat legitimus contradictor, executor (supposita provisi idoneitate; quod hæc ante gratiæ concessionem explorata sit.) assumere partes iudicis, & provisus, contradicte opponente, verificare debeat in gratiæ factæ literis narrata: nisi ista iure præsumantur, vel contradictor excipiendò opponat reticentiam veritatis, de iure vel Stylo Curiæ exprimendæ; hanc enim, si opponat, vel præsumptioni illi contrarium asserat, excipiens probare tenetur; quia regulariter probatio incumbit ei, qui in adversæ partis præiudicium aliquid asserit, in eoque fundat suam intentionem vel exceptionem, *can. Accusator 6. q. 5. §. 1. Ei incumbit 2. ff. de Probat. Ant. de Butrio in c. Constitutus 19. de Rescript. num. 7. & ibi Panormit. num. 4. Felin. num. 2. Imola n. 3. & Lainman. n. 4.* Si verò nemo sit in possessione & legitimus contradictor non appareat, executor (eisdem idoneitate & habilitatibus, quæ in beneficiato requiruntur, & in gratia si ve literis narratæ non sunt, suppositis) extrajudicialiter se informare, & provi-

sus verificare, etiam nemine inficiante vel contradicente, tenetur narrata, quorum falsitas gratiam vitiat; vel, quod gratiæ Apostolicæ fundamentum sint, ut in literis narrata reservatio, affectio, devolutio beneficii, istius alteri legitimam ætatem non habenti vel simoniacè facta collatio, intrusio, non facta publicatio, vacatio ob delictum ipso iure vel per sententiam inducta, litis pendentia & similia; vel, quod aliàs impetrans esset inhabilis, ut sunt ætas, clericatus, dispensatio &c. Vel, quod rationem habeant causæ, Papam ad gratiæ concessionem moventis, ut sunt Doctoratus, Licentiatu, Baccalaureatus, familiaritas & aliquando nobilitas, *cir. Garcia d. num. 163. & Palao §. 3. num. 2.* Ratio necessariæ verificationis istorum est; quod in rescriptis exprimi solet vel tacitè inesse intelligatur clausula *Si ita est, vel Si preces veritate nitantur, c. Ex parte 2. de Rescript. §. 1. fin. pr. C. de divers. rescript.* ut adeo huiusmodi narrata, quæ aliunde explorata non sunt, & iure non præsumuntur, vera esse probati sit necesse: idque plenè & concludenter, si in gratiæ concessio principaliter nitatur: si verò huiusmodi gratiæ fundamentum non sint, saltem semiplenè, *cir. Garcia num. 252. & Palao n. 2.*

Quod si literæ expeditæ sint in forma *Dignum*, executor ultra verificationem narratorum inquirere debet in impetrantis dignitatem si ve idoneitatem, an scilicet legitimè natus, constitutus in Ordine vel ætate, quam beneficii exigat, bonis moribus & literarum scientia sufficiente præditus sit, Tholos. *de Benefic. cap. 35. n. 1. Flamin. Lib. 4. de Resignat. q. 1. n. 5. & Lib. 8. q. 9. n. 38. & Guttierrez lib. 2. Q. Canon. cap. 11. num. 61.* Ea autem idoneitas quoad literarum scientiam per examen personæ, quoad aliàs qualitates per testes aliàsve probationes

exte-



extrajudicialiter receptas fieri potest. Si beneficium parochiale sit, in idoneitatem quoad has etiam qualitates inquirere, & sicut super scientia, sic & super iis relationem & approbationem facere examinatores debent, ex decreto Concilii Trid. *cit. cap. 18. §. Peractio.* In ejus tamen idoneitatis exploratione & probatione citatio alicujus partis & cognitio judicialis, ut infinuatum, non exigitur: nisi adesset intrusus sive beneficii possessor, vel alius contradictor legitimus appareret, Panormit. *in c. fin. de Præsumpt. num. 13. Felin. ibid. num. 36. & Garcias p. 6. de Benef. cap. 2. à n. 242.*

181. Dubium quartò est, an, si executor impetranter nòrit idoneum, ei sine examine de idoneitate & verificatione alia facta beneficii collatio jure valida sit. Affirmat id Sanchez *cit. Lib. 8. disp. 34. num. 24.* quòd inquisitio & investigatio in rem manifestam supervacanea, *can. Manifesta 2. q. 1.* & verisimile non sit Papam actum supervacaneum fieri, & in idoneitatem aliunde satis perspectam inquire, voluisse *arg. Reg. Eum qui 31. in 6.* Negat autem *cit. Garcias*, eà ductus ratione; quòd literis Apostolicis præscripta forma exigat, ut impetranti beneficium conferatur, *Si per diligentem examinationem idoneus fuerit repertus*: quæ conditio cum examine omisso non impletur, deficiet literis præscripta forma, quæ non servatà actus est nullus, *c. Cum dilecta 22. junctâ Glossâ V. Irritum de Rescriptis & l. Mevius 55. ff. de Condit. & demonstr.* Confirmatur hæc opinio paritate cum provisione Ecclesiarum parochialium, quæ facta sine prævio examine non subsistit, ex decreto Tridentini *cit. cap. 18. §. Cum verò.*

Media via tenenda, & cum Innocent. *in c. fin. de Præsumpt. Felino ibid. n. 28. & Palao cit. §. 3. num. 4.* tribuendum

aliquid est Opinioni utrique; ut examinationis necessitatem publica duntaxat, non privata noticia tollat: & sicut beneficii collatio, illà non præmissâ, facta subsistit, quando impetrantis idoneitas notoria est, sic valore destituatur, quando collatarium idoneum esse solus executor privatim novit. Ratio est; quia examen præscribitur, ut idoneitatis habeatur noticia Juridica: quam, seclusò examine personæ, notorietas, non privata noticia inducit. Quare examen pro forma solum exigitur, quando idoneitas notoria non est; quòd in notoriis juris ordo & solennitas omnis remissa intelligatur, *can. Manifesta cit. can. seq. junctâ Glossâ V. Manifesta 2. q. 1. c. Ad nostram 21. de Jurejurando c. Consuluit 4. de Appell. c. Evidentia 9. de Accusat. ubi Glossâ fin. & Gaill. Lib. 1. observat. 38. n. 4.*

Neque adverfatur decretum Tridentini; quia eò sermo est de Ecclesiis parochialibus, providendis per concursum, cui locus non est in provisionibus Apostolicis, quibus examen solum præscribitur, ut idoneitatis habeatur noticia Juridica, quam notorietate induci, liquet ex dictis.

Dubium quintò est, an impetranter ab examinatore rejectum denuo examinare valeat executor, & si idoneum repererit, beneficium ei conferre. Quia in re locus est distinctioni; vel enim examinatores deputati suum de idoneitate judicium jam declararunt, vel id suspenderunt? Si prius, invalidè: si posterius, & executor examinatum idoneum judicabit, validè beneficium conferet. Ratio prioris est; quia, postquam ab examinatore minus idoneus inventus & judicatus est, defecit conditio, sub qua beneficii collatio executori literis Apostolicis mandata fuit; ac proinde ab illius implementatione pendens jurisdictio & potestas con-

Bb ferendi;

182.

183.



ferendi; cum clausula, *Si per diligentem examinationem illum idoneum esse repereris*, exaudienda videatur de examinatione prima, arg. l. *Boves* 89. §. 1. ff. de *V. S. cit.* Palao num. 5. & Garcias num. 255. Posterioris verò ratio est; quia quem, examinatorum iudiciò nondum declarato sed suspensò, executor ipse prævio diligenti examine idoneum iudicavit, verè idoneus ac dignus, & non indignus, minusve idoneus est repertus, Palao l. *cit.*

184.

Dubium sextò est, de valore collationis factæ ei, quem executor prævio examine idoneum per errorem iudicavit, cum revera non esset. Ratio dubitandi est; quia irrita est dispensatio facta ab executeore Ordinario, preces veritate niti existimante, cum re ipsa veræ non essent *cit.* Sanchez *disp.* 21. num. 37. similiq. modo si resignantem, unde commodè vivat, habere executor falsis probationibus deceptus iudicet, resignatario facta beneficii collatio irrita est, si resignans, unde commodè vivat, re ipsa non habeat. Verùm alia ratio est ex rescripto in forma *Dignum* resignatario factæ collationis, & alia dispensationum; quia istæ committuntur cum clausula, *Si preces veritate nitantur*: literarum autem in forma *Dignum* expeditarum executio cum clausula, *Si per diligentem examinationem illum esse idoneum repereris*: quarum clausularum posterior verificatur & conditio purificatur, si prævio diligenti examine impetrans idoneus sit iudicatus, licet talis à parte rei non sit. Non etiam clausula & conditio prior, si preces, re ipsa factæ, ab executeore falsis probationibus decepto veræ esse iudicentur. Unde collationem ex rescripto, in forma *Dignum* obtento, præmisso diligenti examine bonæque fide ab executeore factam subsistere, cum Panormit. in c. 1. de *Sent. & re jud.* num. 29. Baldo in l. *Si cum inter* 2. C.

Quando provoc. non est necesse, num. 8. & aliis existimat *cit.* Garcias n. 270.

Dubium septimò & difficilis resolutionis controversia est, an Gratiæ rescripta executioni mandari valeant, mortuò rescribente illa concedente. *Gratia*, inquam; nam de Iustitiæ rescriptis dubitationem expediendi commodior locus erit *cit.* Tit. 29. à num. 83.

De illis autem sive Gratiæ, & præsertim de literis ad beneficia impetratis, multum interest, an in forma *Gratiola* vel in forma *Dignum* expeditæ sint; cum enim in *Gratiola* contineatur gratiam perfectam & factam ab ipso Papa, fere solam executionem & provisi in possessionem beneficii inductionem executori committente, illius sive Papæ, re integra & executionis negotiò necdum inchoatò, decedentis morte non perimentur, ex decisione Bonifacii VIII. e. *Si sit per gratia* 9. de *Offic. deleg.* in 6. cuius argumentò, Papæ re adhuc integra mortuò, etiam non extinguntur ab ipso in impetrantium favorem concessæ facultates v.g. absolvendi à reservatis, dispensandi in votis & juramentis, conferendi beneficia personis idoneis, nullâ certâ personâ expressâ: uti & facultas testandi, eligendi Confessariù, qui absolvat à reservatis. &c. Navarrus in *can. Placuit* 3. *disp.* 6. de *Penit.* Garcias *cit.* cap. 2. à num. 309. & Sanchez *Lib.* 8. de *Matrim.* *disp.* 28. num. 72.

Excipi tamen solet gratia facta ad beneplacitum. Qua in re tamen interest, an gratia ad ipsius Papæ, vel ad sedis Apostolicæ beneplacitum facta sit; cum enim beneplacitum seu voluntas solius personæ Papalis, non etiam sedis Apostolicæ, Papæ morte expiret, e. *Si gratia* 5. in 6. ad solius Papæ, non etiam ad sedis Apostolicæ beneplacitum concessa gratia Papæ morte extinguetur: & que ad post-



ad posterioris beneplacitum concessa est, perdurabit, donec ab ipso Papa concedente, vel ab ejus successore aliquo revocetur, *Glossa in c. cit. V. Morie, ubi Francus num. 10. Covarruvias Lib. 3. Var. cap. 15. num. 4. & cit. Sanchez num. 49. & 60.*

Si Gratia litera expedita sint in forma *Dignum*, eas Papae re integra decedentis morte perimi, & executioni mandari amplius non posse, cum *Glossa in c. Si cui nulla 36. V. Morietur de Prabend. in 6. Decio ad Rubr. de Constitut. l. 1. num. 4. & aliis indiscriminatim tradunt Corraius de Benef. p. 4. cap. 5. m. 54. & Zerola Prax. Episc. V. Delegatus §. 1. ducti decisione c. Si cui nulla cit. cujus §. Secus tenor est, Secus si super provisione certa persona facienda sit data potestas eadem non ob suam, sed ejus, cui provideri mandatur, gratiam vel favorem: illa quidem expirat omnino, si concedens re integra moriatur. Unde DD. cit. inferunt, quoties personae certae de beneficio provideri literis in forma *Dignum* expeditis Papa mandat, ipsius re integra decedentis obitu gratiam extingui; ut ad beneficii collationem procedi ab executore amplius non possit; quod talibus literis concedatur gratia facienda: quam & generatim mandatum mandantis, re integra defuncti, morte expirare, explorati Juris Regula est, *l. Mandatum 15. C. & §. Relicti 9 Instit. de Mandato.**

Sed illationis istius amplitudo & rigor, ne pro gratia Apostolica supplicantibus iusto gravior sit, temperandus aequitate, & praxi accommodandus est auxilio distinctionis inter literas Gratiae, quibus certae personae de certo beneficio vacante, & eas, quibus certae personae de beneficio incerto vacaturo provideri Papa mandat; quantumvis enim posteriores istae Papae, re integra mortui, obitu expi-

rent, *V. Secus cit.* priores tamen literas, quibus certae personae de certo beneficio vacante providendum est, Papae morte non perimi, sed executionis negotium post illam suscipi & perfici ab executore posse, cum Ant. Gabriele *Tit. de Prabend. concl. 1. num. 19. & 35. Mandoño in Cancell. Reg. 10. q. 2. num. 4. Gutierrez Q. Canon. Lib. 2. cap. 17. num. 5. & aliis sustinent Garcias cit. cap. 2. num. 300. & Sanchez cit. disp. 28. num. 87.* Ratio est; quia Papae mandantis morte gratia ab eo facta non expirat, c. *Si super gratia cit.* Quando autem certae alicui personae de certo beneficio vacante provideri mandat, gratia à Papa facta potius, quam ab executore facienda reputatur; cum is, cui providendum est, jus ad rem habeat respectu beneficii vacantis; ut executor, si eum idoneum & preces veritate niti repererit, beneficium ipsi necessariò conferat, & sine injuria nequeat denegare, *cit. Garcias p. 4. cap. 3. num. 59.* Secus est, quando vigore literarum Apostolicarum certae personae providendum est de beneficio incerto vacaturo; cum enim hujusmodi literis impetranti jus ad rem non acquiratur, gratia respectu beneficii non tam facta quam facienda committitur; ut mirum non sit; quod alterius mandati instar Papae mandantis, re integra decedentis, obitu perimatur, *V. Secus, l. Mandatum & §. Relicti cit.*

Ex hac resolutione inferitur, Papae re integra decedentis obitu non expirare Primò literas, quibus alicui de beneficio certo vacante providere executor jubetur cum cognitione causae & citatione partis; cum, quod etiam hujusmodi literis acquiratur jus ad beneficium; atque idcirco executor non voluntarius, sed necessarius sit: tum verò; quod iurisdictio & cum causae cognitione procedendi potestas gratiae accessoria sit, eamque sequatur, *arg.*

187.

Bb 2 tur, arg.



tur, *arg. Reg. Accessorium 42. in 6. cit. Guttierrez num. 5. & Garcias n. 303.*

Secundò literas, quibus executori mandatur, ut certæ personæ certæ quantitatis pensio assignetur; quòd gratia de pensione facta ab ipso Papa: executori verò sola ejus reservatio commissa intelligatur, *Gigas de Pension. q. 21. & cit. Garcias num. 309.* secus esse asserens, si committatur assignatio pensionis incertæ sive, quæ executori videbitur; quòd hoc casu gratia ab executore sit faciendâ.

188. Tertiò etiam gratiam Expectativam præbendæ vacaturæ: inò etiam gratiam ad beneficium vacaturum incertum, si Papa id conferat cum clausula *Ex nunc prout ex tunc*; cum ita gratiæ factæ sola executio delegeretur & perinde sit, ac si bene-

ficiam literarum Gratia expeditarum tempore Papa contulisset: & ad tempus *Data omnia retrotrahantur, Gonzalez in Reg. s. Gloss. 12. num. 42. & cit. Garcias num. 305.*

Quartò literas dispensationum in votis, *vg. Religionis vel Continentiæ, in irregularitatibus & impedimentis conjugiorum*; quòd, licet ejusmodi literis dispensationis gratia faciendâ à S. Penitentiarie mandari videatur, mandatarium tamen executor non voluntarius, sed necessarius sit; cum, si preces veritate nitantur, Oratori sive impetranti ipsis S. Penitentiarie literis quæsitum sit jus ad dispensationem, & hæc illi sine injuria nequeat denegari, ut aliis DD. allegatis docent *cit. Garcias n. 312. Sanchez n. 87.*



## TITVLVS IV. De Consuetudine.

**H**umani Juris hæc altera pars est, & §. *Constat. 3. §. 9. Instit. de J. N. G. & C. & can. Consuetudo 5. dist. 1.* Jus non scriptum nominatur; non, quòd non potuerit; sed, quòd non fuerit necesse, eam scriptò comprehendi, *l. inò 36. ff. de LL.*

**ARTICVLVS I.**  
**De ejus Natura & varietate.**

### SUMMARIUM.

1. Consuetudo alia Facti, alia Juris est.
2. Istius definitio.

3. Differentia à Lege.
4. À Traditionibus, Curia stylo, Ritu, & Prescriptione.
5. Et Prescriptione.
6. Alia est Ecclesiastica, alia Civilis.
7. Alia Generalis, alia Specialis &c.
8. Alia Juxta, alia Præter, alia Contra legem.

**A**ccipi autem consuetudinis vocabulum potest vel pro factis, sive ipsò usu diuturnò & actibus, à communitate vel majoris ejus parte, longò tempore frequentatis: quomodo sumpta, & adhuc imperpetua *Mor & Usus, juxta can. Consuetudo cit. ibi, Quia in communi usu est, vocatur ad hanc Rubr. à Decio num. 2. & Barbosa n. 4.*